HESYCHII MILESII, ILLVSTRII COGNOMENTO, de his qui eruditionis fama claruere, Liber:

Hadriano Junio medico

HADRIANO IVNIO

interprete.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Prototypographi Regij.

CIↃ.IↃ.LXXII.


SVMMA PRIVILEGIORVM
REGIS CATHOLICI.

REGIÆ *Catholicæ Maiestatis Priuilegiis cautum est, ne quis hunc librum, cui titulus est,* Hesychij Milesij, Illustrij [illegible] nomenclator de his qui eruditionis fama claruere, [illegible] interprete, *citra Christophori Plantini voluntatem imprimat, aut alicubi impressum importet, venalémve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & pœna, fisco Regio exoluenda, mulctabitur: vt latiùs in Regiis diplomatis expressum est; Datis Bruxellæ: In Consilio priuato* XXIX. *Nouemb. In Consilio verò Brabantiæ, Mense Decembri.* M. D. LXIX.

Signat.

De Langhe.

CORNELIO BICKERO AMSTERODAMAEO, OPTIMAE SPEI ADOLESCENTI, [illegible] MEDICVS S.



QVOD de Fortuna rerum domina dixit Plinius, eã nimirum vtranque facere paginam: idem de institutione & disciplina cur efferre mihi nõ liceat, amãtissime Bickere, quando penes eam sit principatus & momentum omne in regendo moderandoque vitæ cursu: quæ si recta sit, næ illud fœcundum virtutum seminarium expectandum est: sin praua, nihil isto plantario infelicius. Itaque meo iudicio institutio conuenientissimo vocabulo, quo Theano Pythagorça vsa est, προϋποσυφὴ vocari potest, tanquam fundamentum tincturę, quo lanam primam infectores

 suffici-

ſufficiunt, vt color ſit pertinax. Iſtuc quum non lateret genitorem tuum Petrum Bickerum, virum prudentẽ & cõſultum, pueritiam tuam ſtatim extra domeſticas illecebras, virtutis auocamenta, ſeponendam Traiectum curauit, vbi tyrocinij depoſitis rudimentis, palatum tibi apud optimos præceptores fingeretur imbueretúrq;: id quod feliciter ibi cecidit, quando proculcata voluptate, blandiſſima Sirene, ingeniorũ corruptrice, in literaria arena ad induſtriæ palum ita gnauiter ingenij neruos exercuiſti, vt indiciis haud leuibus magnum à te operæ pretium ornamentumque cum familiæ, tum patriæ communi expectandum eſſe aliquando auguratus fuerim. Memini legiſſe ſcriptum à te in hoc herbeſcentis ætatis rudimento carmen non vnum, in quo penè ad ſtuporem me traxit ſenile neſcio quid

& ma-

maturum præter inuentionis acumen, aptam diſpoſitionis fabricam, & in poëticis numeris ſplendoré. Neque verò effictum ad auriũ voluptatem ſermoné tibi adhiberi à me exiſtimes velim: quin potiùs faces quaſdã & incitamenta laudatæ induſtriæ, quæ à me dicũtur, ex animo ſincero profecta eſſe cogita. Iam verò ab amœno illo & iucundo ſtudiorum viridario, tanquam ad temperamentum quoddam, in philoſophiæ præcepta ſapienter te tranſtuliſti, conſilio parentis tui, quem anteà nominaui, qui ex iſta dulcis cum graui, miſcella, omne momentum ad altiora ſtudia ſecuturum præuidet: ſic Homerus in laudata virginis forma lactis candorem cum roſæ purpuriſmo rectè contemperat: & ferri duritiem ſtomomatis acie bonus faber aptè corroborat. Iſto ergò veluti coagulo, philoſophiæ


nimirum cum humanitatis lite[...] ita pectus tinge, vt ad ſublimiora quæque ſtudia viam munias, eaque decorè committas, ſicque ad ſempiternum gloriæ curſum cum laude aſpires, & iuſtiſſimo patris deſiderio (quem domeſticum habes virtutum exemplum, & præclarum eloquentiæ lumen quoddam) ſatis facias, omniumque vota cumulatè impleas. Accipe ergo, ſtrenæ vice, meæ de te expectationis teſtimonium, Heſychium Mileſium, qui de Philoſophis & doctrinæ ope illuſtribus viris ſcripſit, nunquam antehac typis euulgatum, & à me Latio donatum. Vale Harlemo KAL. IAN. anno à partu virgniis M.D.LXXII.

HESY-

HESYCHII MILESII,

ILLVSTRII COGNOMENTO, de his qui eruditionis fama claruere, liber:

[illegible] co interprete.



CYNICA *secta nomen adepta est, ab Antisthene, qui primus eam orsus fuit in gymnasio, quod [à candido cane] Cynosarges nomen accepit : at Peripatetica dicta est quòd primordiũ ceperit ab Aristotele, docente in xysto seu horto ambulationi accommodato.*

A.

APOLLONIVS *Tyanæus. huius mater ventrem ferens, vnum ex his quos dæmonas geniosúe nominant, dicentem sibi conspexit, Se esse quo grauida foret, nimirum Protea AEgyptium : vnde mansit postea suspitio Proteos fuisse filium.*

ARISTEAS *Proconnesius. istius animã corporis domicilio excessisse, rursusq; vbi vellet subiisse, fabulantur.*

ÆSCHINES *fartoris filius à Menedemo Eretrienſi inſimulatus fuit, quòd dialogos plæroſque Socrate auctore ſcriptos, vt ſuppoſititios emiſerit, à Xanthippe acceptos: inter quos ſoluti admodum ſunt & remiſſi, qui mutili imperfectique nuncupantur; neque Socraticam acrimoniam & ſoliditatem produnt. Hic in Siciliam ad Dionyſium veniſſe dicitur ad leuandam egeſtatem, & à Platone faſtiditũ, ab Ariſtippo fuiſſe confirmatum, proq́; oblatis libellis aliquot, donatum muneribus: poſtea reducem Athenis non auſum profiteri publicè, Platonis tum celebri fama: ſtipem tamen factitandis priuatis lectionibus coëgiſſe. Dialogos illius Ariſtippus quoque ſuſpectos habuit, nam quum Megaris eos lectione præiret ille, fertur adiecto conuitio dixiſſe, Vnde tibi iſta plagiarie?*

ARISTIPPVS *Cyrenæus voluptates ſectabatur quidem, labore tamen quærenda è rebus abſentibus oblectamenta non venabatur: qua de cauſa Regium canem appellabat eum Diogenes. Interrogatus quo excellerent philoſophi, reſpondit, quòd æquali ratione victuri ſumus, ſi leges vniuerſæ abolerentur. Aiebat à notis familiaribusq́; ſe capere, non quò illis vteretur, ſed vt illi diſcerent, in quos vſus argentũ habere conueniat. Criminanti cuidam quòd ipſe*

vnus

vnus è Socratis discipulis pecuniam acciperet: quid ni, inquit, caperem, siquidem Socrates, plærisq. frumentum ac vinum illi submittentibus, pauca sibi reseruabat quidem, sed reliquum omne ad suos quæstores amandabat. Eutychide mancipio, & scorto Laïde vtebatur, quapropter ad obijcientem illi Laïdis amores, Habeo, inquit, Laïdem, non habeor: nam vincere voluptates, neq. ijs manum dare, ea verò præcipua laus est, at inglorium est vsu voluptatum prorsus abstinere. Interrogatus quæ liberalibus pueris sint discenda, respondit, quæ olim viris vsui futura sunt. Finem definiebat esse placidum & æquabilem motum, qui in sensum diffunditur.

ALEXINVS *Elæus ob nimium altercandi arguendiq́; studium, voce allusoria* Ἐλεγξῖνος, *Elexinus, quasi argutator aut altercator dictus fuit. Aiunt hunc ex Elide Olympiam immigraße, ibique philosophiam cœpisse profiteri: sciscitantibusq; discipulis, cur ibi sedem cepißet, respondisse, in animo eße sibi sectam condere, quæ Olympiaca vocaretur: at illos viatici inopia afflictos, & locum insalubritate infamẽ exosos, discesßisse, ab eoq́; tẽpore Alexinũ solũ cũ famulo ibi substitisse: fertur postea dũ in Alphæo amne natat, è vulnere arundine puncto mortem oppetisse: extat in illum huiusmodi epigramma.*

Οὐκ

Οὐκ ἄρα μῦθος ἦν ἐκεῖνος εἰκαῖος,
ὡς ἀτυχής τις ὢν πόδα κολυμβῶν περιεπείρετο
ἥλῳ, καὶ γὰρ ὁ σεμνὸς ἀνὴρ πρὶν τὸν ἄλφειον
ποτ' ἐκπερᾶν Ἀλεξῖνος θνήσκει νυχθεὶς καλάμῳ.
id eſt: Non illa erat fabella vero diſſona,
Clauo quòd vrinator impactum pedem
Obl.æderet, nam canna acuta ſaucius
Mortem oppetit Alexinus Alpheum innatans.

ARISTOTELES *Stagirites memoratur Pæana ſcripſiſſe ad Hermiã eunuchum ſocerum ſuum, eaq́ de cauſa iudicum ſententijs condemnatus cicutæ poculum hauſiſſe, atq; ita occubuiſſe mortem. Hic vult in philoſophia duplicem eſſe artem ſeu doctrinam; actiuam, quæ Practice dicitur, & alteram in inſpectione poſitam: actiuæ attribui moralem, quæ Ethice, & ciuilem, quæ Politice dicatur; vbi quicquid ad rem & publicam & familiarem attinet, tractatur. Theoretici generis eſſe id quod Phyſicum ſiue Naturale, & quod Logicum ſiue Rationale dicitur: qua in parte Logicum non vniuerſim, ſed tamen organum eſt omnibus numeris exactum & exquiſitum. Huius poſtquam geminos ſcopos ſtatuit, declarat eos eſſe & veriſimile, & verum ipſum: deinde ad vtrunque duabus vtitur facultatibus, dialectica & rhetorica ad ea quæ probabilia ſunt, analytica & philoſophia ad ve-*

verum, nihil prætermittens quod vel ad inuentionem, vel ad iudicium, vel ad vsum attinet. Ad inuentionem autem & optica & methodica tradidit propositionum multitudinem, è quibus affluens copia verisimilium argumentationum suppeditari ad instituendas quæstiones & problemata possit. Ad iudicium Analytica priora & posteriora scripsit, per priora assumptiones iudicat, per posteriora collectio & congeries exigitur atque exploratur. Ad vsum denique tradidit exercitatoria, & quæ de interrogatione agunt, & quicquid ad contentiones disceptationesq. spectat, vt & sophistici elenchi & syllogismi atque id genus alia. Sensum definit esse arbitrum ac iudicem veritatis effectuum è phantasia nascentium: Mentem verò rerum moralium iudicem, quatenus rem publicam domesticam'que & leges respiciunt: Vnum verò finem declarauit esse vsum virtutis in vita sancta & integra. Felicitatem dixit esse complementum è tribus bonorum generibus constans, tum animi, cuiusmodi bona facultate prima nuncupat; tum corporis, qualia sunt firma valetudo, robur, forma bona, & his consimilia; tum externis, vt opulentia, nobilitate, auctoritate & similibus. Virtutem negauit sibi ipsi sufficere ad consequendam felicitatem, opus

namque habere adminiculis corporearum & externarum rerum; quippe quum sapiens infelix sit, siue laboribus cõficiatur, siue egestate prematur, aut aliis eiusdem modi incommodis: è diuerso malitiam per se satis esse instructam ad infelicitatẽ & miseriam, quantumuis abundet externis copiis & corporis bonis. Virtutes haud sequi se mutuo comitatu dixit, vsuuenire enim posse, vt prudens aliquis & iustus, idem libidinosus sit & intemperans. Præterea sapientem non esse quidem à perturbationibus vacuum, sed mediocres animi motus sentire. Amicitiam definiuit esse beneuolentiæ reciprocam & vicissim respondentem æquabilitatẽ: eam verò esse triplicem, cognationis propriam, amatoriam, & hospitibus debitam. Amorem non modò consuetudini & veneris vsui tribuendum, sed & philosophiæ: quin sapientem quoque amaturum, ad reipub. gubernacula accessurum, matrimonio se obstricturum, nec abnuiturum cum rege viuere. Quum triplex sit vita, contemplatrix, voluptaria, & actuosa, contemplatrici primas detulit. Circulares dictas ac liberales disciplinas magno esse vsui ad consequendam virtutem iudicauit. Caussarum naturalium acerrimus ventilator præ aliis omnibus fuit, ita vt minimis quoq. rebus caussas suas assignauerit. Deum

incor-

incorporeum cum Platone asseruit, cuius prouidentiam ad cælestia vsque extendi, ipsum motu nullo cieri dixit: terrestria verò consensu & coniunctione naturæ cum cælestibus rapi agitarique. Ad quatuor elementa & quintum adiecit, ex quo æthera corpora conflata sint, cuius motus alienus sit, quippe in orbem rotatus. Animam esse incorpoream dixit, & primam ἐντελέχειαν, *hoc est, perfectionem, corporis naturalis & organici, potentia vitam obtinentis: quæ secundum eum duplex est.* Εντελέχειαν *autem nominat, cuius forma quædam sit incorporea, altera secundum potentiam: quemadmodum in cera Mercurius idoneus ad recipiendam effigiem expressam: & ex ære simulachrum. Porrò absoluti Mercurij aut simulachri entelechia, talis habitu dicitur. Dixit autem disertè, corporis naturalis, quòd corporũ alia sint manu artifice facta, vt turris, nauigium: alia natura produxit, vt plantas & animantium corpora: Organici dixit, hoc est, ad vsum aliquem destinati, quomodo oculus ad cernendum, auris ad audiendum: addidit Potentia vitam obtinentis, nimirum in se: potentia autem minus est, quàm actu: Secundum actum enim vigil animam habere dicitur: secundum habitum verò is qui dormit. Vt igitur etiam hic comprehenderetu,*

adiecit,

adiecit voculam illam, Potentia.

ANTISTHENES *Cynicus cognomento* ἁπλοκύων *dictus fuit, quasi pure puteque canis. Laërtius in hunc illusit, velut mortis metu retinendæ vitæ cupidiorem, epigrammate, quod tale est.*

Τὸν βίον ἦσθα κύων ἀντίσθενες ὧδε πεφυκὼς
ὥστε δακεῖν κραδίην ῥήμασιν οὐ στόμασι.
ἀλλ' ἔθανες φθισικὸς, τάχ' ἐρεῖ τις ἴσως, τί δὲ τοῦτο;
πάντως εἰς ἀΐδην δεῖ τιν' ὁδηγὸν ἔχειν. *hoc est,*

Mordebas verbis animã, haud Antisthenes ore,
Ingenium id, mansit dum tibi vita, fuit.
Te phthisis extinxit: dicet quis fortè, quid ad rẽ?
Ductore omnino ad limina Ditis opus.

Inter placita eius hæc fuerunt. Ostendebat apodictice virtutem doctrina comparari posse: eandem in actione consistere, neque copiosis verbis, neque disciplinis indigentem: sapientem sibi vni sufficere, quando cuncta aliorum quæ sunt, ipsius sint. Obscuritatem nominis bonum esse labori non dispar: sapientem non ex legum præscripto viuere, sed iuxta virtutis regulam, cum'que sibi vxorem adiuncturum propagandæ prolis gratiâ, cum formosissima quaque muliere consuetudinem habendo: ipsum'que amori vacaturũ, eo quòd solus sapiens quænam amanda sit, no-

sit, nouerit. Sapienti nihil esse peregrinum aut absurdum: Virum bonum dignum esse qui ametur: Viros probos pro amicis habendos: coëundam esse cum fortibus, animosis, & æquitatis amantibus societatem: Virtutem esse armaturam genuinam quæ auferri nequeat: Satius esse cum paucis bonis uniuersos improbos, quàm cum improborum multitudine paucitatē bonorum oppugnare: audiendos esse inimicos, quòd hi primi deprehendant si quid fuerit erratum. Virum iustum pluris fieri debere, quàm consanguineum. Eandem esse viri & mulieris virtutem. Bona honesta, mala turpia, malitiosa & fraudulenta omnia, cogita esse aliena. Prudentiam murum esse longè tutissimum, qui neque defluat, neq. proditione capiatur. Mœnia in nostris ipsorum animis inexpugnabilibus quidem illis esse construenda.

ARCESILAVS. *Hic adolescente quopiam ferocius quàm par esset garriente, nunquis hunc, inquit, scutica accipiet astragalis nōdata? Quendam malè audientem tanquam muliebria pateretur, quum obiecisset videri alterum altero maius non esse, percontatus est, num etiam decem digitorum longitudo, à senûm digitorum mensura discreparet? Dialectico cuidam Alexini præceptoris sententiam satis rectè & pro digni-*

dignitate explicare non valenti, Philoxeni factum, quo apud laterarios vsus dicitur, occinuit: ille namque quum inaudisset imbricarios sua carmina ineptè cantillantes, ipsorum imbrices proculcauit, cum hoc dicto, Vti vos mea corrumpitis, ita ego vicißim vestra. Mirè felix extitit in inueniendo quo obiectis facili & prompta responsione occurreret. Idem præ quouis alio persuadendo fidem inuenire, & in animos irrepere; quo factum est vt plures scholam eius frequentarent, qui tametsi acumine & subtilitate eius offensi, gratum id habebant, erat etenim insigniter bonus, & qui auditorum animos spe imbueret. In communicandis facultatibus ac deferendis beneficiis supra quàm dici potest, promptus atque facilis fuit, alienißimus à captanda gloriola è beneficio quod latere maluerat. Quapropter quum inuisens quodam tempore Ctesibium ægrotantem, videret illum in egestate esse, clàm ceruicali supposuit crumenam nummariam, qua ille inuenta, Arcesilai, inquit, hicce ludus est. Rursus quum pro recipiendis amiculis argentum escarium ab eo quidam accepisset, qui id omne in rem suam verterat, neque repetiit, neque vt suum peculium asseruit, imò sunt qui de industria vtendum dedisse, & restituenti, quoniam inops erat, donasse

nasse commemorant. Regum neminem magnopere coluit, quam ob rem legatione ad Antigonũ fungens pro patria, nihil obtinuit. In puerorum amores pronior fuit, libidinibus obstrictus, & scortis adhæsit. Hic aliquando cùm deprehendisset puerum à se in delitiis habitum cum Demochare consuesse, patienter se discedere dixit. Aridelo in cœna theorema proponenti, atque vt super eo dissereret exposcenti, Atqui, inquit, hoc ipsum philosophiæ proprium imprimis est, scire cuiusque rei opportunitatem. Timon Sillographus ludit in eum vt popularis auræ captatorem his versibus.

ὣς εἰπὼν, ὄχλοιο περίστασιν εἰς κατέδυνεν,
οἱ δέ μιν ἠύτε γλαῦκα περιτιζατπερὰ τοῦτο,
ἠλέματον δεικνύντες, ὅθ' οὕνεκα ὄχλῳ ἀρεσκ' εἰς
οὐ μέγα πρῆγμα, τί πλατύνεαι ἠλίθιος ὥς.

Sic fatus, medium turbæ sese intulit, illi
Ceu fringillæ vlulam circum garrire loquaces,
Et monstrare leuẽ: sed quæ caussa impulit aurã
Captares populi, non magni ponderis auctor?
Quid magnos sumendo animos vesane ferocis?

Fuit tamen à fastu adeo alienus, vt discipulis auctor fuerit, ne ab aliorum auditione abhorrerent.

ARCHITAS *Pythagoricus ciuilium co-*

piarum ductor nunquam aduersum prælium commisit, sed postquam semel illum attigit inuidia, imperio cessit, ac confestim in hostium potestatem ciues venerunt.

ARCHITAS *Musicus conuitio verberatus, quòd exaudiri nō posset, respondit, At instrumentum pro me decertans loquitur.*

ANAXARCHVS *Abderita dixit se ne id quidem ipsum scire, quod nihil sciret.*

ÆSOPVS, *non ille fabulator, de Helena commentatus est, vbi scribit Pana vocari piscem cetacei generis, in eóque lapidem asteritem inueniri, qui solis radiis inflammetur, eúmque ad philtra facere, amorisque illecebram conciliare.*

B.

BION *Borysthenites negabat esse deos, in quem propterea scriptum tale extat Epigrāma.*

Βίωνα τὸν βορυσθενίτην, ὃν ἔφυσ' ἡ σκυθὶς αἶα, (sus re-)
λέγειν ἀκούομεν θεοὺς ὡς οὐδέν εἰσιν ὄντες, (ici inte-)
Κ' εἰ μὲν τὸ δόγμα τοῦτ' ἔχων ἔμιμνεν, ἦν ἂν (rel.)
εἰκὸς
„ Λέγειν, φρενεῖν ὅπως δοκεῖ, κακῶς μὲν, ἀλλ' ἔδοξε.
„ Νῦν δ' εἰς νόσον πεσὼν μακρὴν, καὶ μὴ θάνῃ δεδοικὼς,
„ Ὁ μὴ θεοὺς εἶναι λέγων, ὁ νηὸν οὐδὲ βλέψας,

ὁ πολλὰ

» Οἱ πολλὰ χλευάσας βροτοὺς, οἳ τοῖς θεοῖς ἔθυον,
» οὐ μοῦνον ἐσχάρης ὕπερ βωμοῖντε καὶ τραπέζης
» Κνίσῃ, λίπει, θυήμασιν θεῶν ἔδαισε ῥῖνας,
» οὐδ' εἶπε μοῦνον, ἤλιτον, σύγγνωτε τοῖς πρὶν, ἀλλὰ
» καὶ γραῒ δῶκεν εὐμαρῶς τράχηλον εἰς ἐπαοιδὴν,
» καὶ σκυτίσιν βραχίονας πεπεισμένως ἔδησε,
» ῥάμνον τε καὶ κλάδον δάφνης ὑπὲρ θύρῃ ἔθηκεν,
» ἅπαντα μᾶλλον ἢ θανεῖν ἕτοιμος ὢν ὑπουργεῖν.
» μωρὸς δ' ὃς ἤθελέ τινος μισθοῦ τὸ θεῖον εἶναι,
» ὡς τῶν θεῶν ὄντων ὅταν Βίων θέλῃ νομίζειν.
» τοιγὰρ μάτην φρονῶν ὅτ' ἦν ἅπας ὁ λέμβος ἄνθραξ.
» τὴν χεῖρα τείνας ὧδέ πως χαῖρ' εἶπε χαῖρε πλουτεῦ. *id est.*

Biona Borysthenitē, Scythica quē produxit ora,
Accepimus dixisse, reuera non esse diuos:
Quod dogma si tueri mordicus ille perstitisset,
Poterat videri aliquid sensisse, perperā tametsi.
Nunc pertinace morbo iactatus, metúq. mortis,
Qui pernegat deos, qui numquam delubra introspexit,
Mortalium irrisor, qui patrio instaurant more sacra,
Qui nec super foco aut aris, mensáue adolens, deorum
Nidore nares vel adipe expleuit pióue farre,

Nec se peccasse vnquam fassus, pacem deûm expoposcit,
Sed incantatrici sagæ submisit colla supplex,
Loris'que vinciendos parens præbuit lacertos,
Hyperthyróque rhamnum imposuit termitemq. lauri;
Paratior quiduis tandem exequi, quàm obire mortem.
Demens qui mercenarios deos voluerit esse,
Quasi tum demum existant, quum statuere hos visum est Bioni.
Opinione at falsus est, quòd esset carbo lembus,
Manúq. sic protēta, iam Pluto vale vale, inquit.

BION *alter Abderita in scriptis suis prodidit loca esse habitati orbis, vbi semestris nox sit, totidem'que mensium dies.*

Γ

GENETHLIVS *Palæstinus in vnica oratione totum philosophiæ studium absoluit.*

Δ

DAPHIDAS *Telmisseus grammaticus nullum non conuitiis lacessebat, ne à diis quidem ipsis abstinens, quamobrem Attalo regi Pergami valde inuisus fuit. Hic aliquando Pythiam quum adiisset, oraculo illusit, ac per risum sciscitatus, an equum esset inuenturus, responsum accepit, non multo post reperturum: quod ille*

ille diuulgauit, quòd nec equum haberet, nec amisisset. Digressum inde nactus Attalus præcipitem de saxo dari iussit, loco autem vnde proturbatus est, nomen erat Equus: itaque sub vitæ exitum didicit sacrarum sortium fidem non fuisse vanam.

DIAGORAM *Teleclidis F. natura ingeniosum conspicatus Democritus Abderites, seruum redemit decem drachmarummillibus, hoc est, centenis minis, sibique discipulum adsciuit: at ille etiam Lyricæ arti operam nauauit. Impius cognomento dictus fuit, quòd eidem arti operatus quispiam, & ab eo plagij accusatus, de subrepto Pæane à se conscripto, eiurasset furti se non teneri, atque ille paulo pòst prolato in lucem Pæane, secunda hominum fama vteretur. quam ob rem mœstus Diagoras orationes scripsit* Ἀποπυργίζοντας *(quasi de turribus præcipitantes dicas) quæ defectionis caussam à communi de diis persuasione continebant.*

DIODORVS *Iaso Cariæ vrbe oriundus, Cronus, id est, Saturnus cognomento appellatus, dialecticus, primus putatur inuenisse Ceratinas, hoc est, Cornutum conclusionis genus, & alterum quod Opertaneum seu inuolutum dixit. Hic quum apud Ptolemæum cognomine Seruatorem commoraretur, & à Stilpone interro-*

gatus super dialecticis aliquot argumentis, ea dissoluere nequisset, à rege inter cetera dicteria, etiam Cronus vice scommatis audiit: digressusq. è conuiuio, librum de proposito problemate scripsit, vitámque cum morte præ mœrore commutauit. In eum hoc extat Epigramma.

Κρόνε Διόδωρε τίς σε δαιμόνων κακῇ
    Ἀθυμίῃ ξυνείρυσεν,
Ἵν᾽ αὐτὸς αὑτὸν ἐμβάλῃς ἐς τάρταρον,
    Στίλπωνος οὐ λύσας ἔπη
Αἰνιγματώδη; τοί γὰρ εὑρέθης κρόνος
    Ἔξωθε τοῦ ῥῶ κάππα τε.   *id est,*

Crone Diodore quis nam acerbo dæmonum
    Mœrore pectus perpulit,
Plutonios vltro subires vt specus,
    Non dissoluto ænigmate
Stilponis? vnde non malè audis nunc Cronus,
    R. C. q. demptis litteris.

De hoc in Epigrammatibus ita Callimachus lusit.

αὐτὸς ὁ μῶμος
Ἔγραφεν ἐν τοίχοις, ὁ κρόνος ἐστὶ σοφός.

hoc est, *Parietibus ipse*
    Inscripsit Momus, quòd Cronus est sapiens.

DEMETRIVS *Phalereus, forma fuit tam eximia, vt à plærisque* Λαμπετώ, *à nitore formæ, &* Χαριτοβλέφαρος *à palpebrarum decore & gratia appellaretur.*

DEME-

DEMETRIVS *alter cognomento Ixion dictus, quòd deprehensus fuerit furto subduxisse bracteas aureas ab Alexandrinæ Iunonis simulachro.*

DIDYMVS *Alexandrinus, ab aheneis intestinis* χαλκεντέρου *cognomen tulit, quòd indefesso labore libris assideret: scripsisse supra ter mille & quingentos libros perhibetur.*

DRACO *legislator in Aeginam profectus, faustisq; populi acclamationibus in theatro exceptus ob perlatas leges, multitudine petasorum, tunicarum & vestium in caput ipsius coniectarum suffocatus interiit.*

DEMOCRITVS *variis modis studebat explorare animi imaginationes, interdũ solitariam trahendo vitam, nonnunquam & in sepulchris delitescendo. Hic in cernendo hæreditatem cum fratre, minorem portionem [quæ in pecunia erat] delegit: qua instructus Indiam adiit & AEthiopiam, & Gymnosophistis se coniunxit. Inde regressus parcissimè vixit, quippe absumpta omni substantia, & egestatem subsidio ac liberalitate sororis Damasi sustentauit. Postquam verò in eo prædictionem futurorum euentus comprobauit, diuinitatis opinionẽ vulgus de illo concepit. Rerum primordia atomos (sic indiuidua corpuscula vocat) &*

inane esse censuit, cetera omnia ex opinione statui posse dixit: mundos esse infinitos, eos'que & gigni & interire; de nihilo nihil fieri, neq. ad nihilum interimi. Atomos infinitas esse cum magnitudine, tum multitudine, ferri'que per vniuersum & rotatu circumagi, atque ita ex concrementis illis gigni ignem, aquam, aêrem, & terram: ista namque coagmentata esse & concreta ex atomis quibusdam, offensæ mutationis'que nescia ob firmitatem: Præterea Solem & lunam ex eiusmodi & quidem rotundis grumulis coactos esse, vt & animam, quam cum mente eandem esse iudicauit. Adde huc & nos cernere ex incursu imaginum: quin & omnia necessitate quadam fieri, quando rotatio illa existat caussa, cuius ope vniuersa gignantur, eam'que necessitatem nominat. Finem verò esse animi tranquillitatem, non eandem cum voluptate (vt nonnulli perperam acceperunt): sed quam sequendo animus tranquillè, constanter, & fortiter se gerit, nullo turbatus metu, aut superstitione, aut alia quacunque tandem offensione, eam'que εὐεστὼ nominat à felicitate, pluribus etiam aliis nominibus illam donat. Denique censet quæcunque facta sint, legitima esse, natura verò indiuidua & inane.

DIOGENES *Apolloniata dixit elementum*

mentum vniuersi esse aërem, mundos esse extra numerum modum'que, & inane infinitum: deinde & aërem spissatum aut rarefactum, mundos gignere: è nihilo nihil existere, neque in nihilum corrumpi: terram esse orbiculatam, quæ stationem suam fixã & stabilem in medio ceperit, vbi à calore circundante ambiatur, & à frigore cogatur atque condensetur.

E

EPIMENIDES *Cretensis: huius anima narratur corpore solere excedere quum vellet, & quamdiu luberet, rursusque regredi: mortui quoque pellem literatam notisq. compunctam repertam fuisse fama est.*

HERMOGENES *rhetor à morte per anatomicos dissectus fuit, eiusq. cor inuentum pilosum, multo'que maius quàm hominis id natura patiatur.*

ERATOSTHENES *literæ B cognomento vocitatus fuit, quòd summis proximus in omni disciplinæ genere secundas teneret.*

EVRIPIDES *diem quo Græci Persas prælio nauali cum Xerxe commisso profligarunt, natalem habuit, Atheniensibus prosperam fortunam portendens.*

EVCLIDES *Megarensis à Socratis nece Platonem & reliquam philosophorum turbam*

qui tyrannorum crudelitatem metuebant, in domum suam receptauit. Idem vnum esse bonum definiit, pluribus nominibus inclytum, quòd nunc prudentia, nunc deus, interdum mens, atque id genus aliis nominibus nuncuparetur: aduersa & contraria bono, prorsus sustulit, ne esse quidem dictitans. Demonstrationibus vtebatur quæ per conclusionem, non autem per sumptiones constituebantur.

EPICVRVS. *Qui hunc probri insimulant, ad Pythoclem formosum adolescentem in hæc verba scripsisse referunt, Sedebo operiens optatum tuum, & non minus gratum quàm dei ipsius ingressum: Item in libro de fine sic scripsisse, Equidem ignoro quid de summo bono statuam, si tollam voluptates quas sapor ministrat, aut Veneris vsus adfert, aut quibus aures permulcentur. Ferunt eundem de Nausiphane Pyrrhonis discipulo scribere. Ista eum in tantum animi stuporem impulerunt, vt & illum verbis sugillaret, & magistrum non vocitaret: ipsum verò, vt fertur, Nausiphanem pulmonem nominabat, illiteratum, impostorem, & cinædum. Platonicos appellabat Dionysij assentatores; ipsum verò Platonem, aureum: Aristotelem decoctorem, quòd comeso omni patrimonio stipendia fecisset, & medicamenta vendidisset:*

Prota-

Protagoram ſtraguligerum, & Democriti ſcribam, qui'que in pagis elementa doceret. Heraclitum ſimium & affectatorem: Democritum Lerocritum, velut nugarum cenſorem: Antidorum Sanidorum, ac ſi dicam tabularum largitorem: Cizyicenos Græciæ perduelles: Dialecticos multùm inuidos: Pyrrhonem imperitum atque illiteratum. Chryſippus Epicuri æmulus fuit in ſcriptorum multitudine, quapropter illum Carneades eius librorum paraſitum nominauit: nam ſi quid ſcripſit Epicurus, tantundem Chryſippus ſcribere affectauit: quo factum eſt, vt ſæpius eadem ſcriptis prodiderit, quod illorum memoria ex animo exciderat: quapropter præ nimia feſtinatione multa parũ caſtigata attraxit: tanta'que ibi abundat teſtimoniorum [quæ adducit] multitudo, vt libri Chryſippi ſolis illis referti ſint. Initio literarum elementa docuiſſe memoratur, poſtea nactum Democriti ſcripta, curriculo ad philoſophiam tranſiſſe: Vnde Timon ſic de illo.

ὕςατος αὖ φυσικῶν κ̀ κύντατος ἐκ σάμȣ ἐλθὼν,
Γραμμοδιδασκαλίδης, ἀναγωγότατος ζωόντων. *id eſt.*

Vltimus è Phyſicis, Iunonia quem Samos effert,
Grammatices doctor, feruensque libidinis æſtu.

Cũ quatuordecim dies æger decubuiſſet, labrum

æneum

æneum calda infusa temperatum ingressus, meri poculum poposcit, hausitque, & præsentibus amicis mandans, ut traditorum dogmatum memores essent, vitam finiuit, extat'que hoc in eum epigramma.

χαίρετε καὶ μέμνησθε τὰ δόγματα, τοῦτ᾽ ἐπίκουρος
  ὕστατον εἶπε φίλοις πρώτοις ἀποφθίμενος.
χαλκῶ ἐς πύελον γὰρ ἐσήλυθε καὶ τὸν ἄκρατον
  ἔσπασεν, εἶτ᾽ ἀΐδην ψυχρὸν ἐπεσπάσατο.

Dogmata vos memori retinentes mente, valete,
  Hæc Epicure tuis vltima verba facis.
Dein labrum ingressus calidum; sorbensq. meracum
  Oppetis, ac Ditis algida regna subis.

EMPEDOCLES, *Quum Acron medicus, ob illustre inter medicos nomen, à senatu Agrigentino locum extruendo paterno monumento postulasset, accedens Empedocles id fieri vetuit, inter cetera quæ de æqualitate egregiè disseruit, tali vsus elogio · Ecquod carmen lugubre incidemus tumulo, istudne?*

Ἄκρον ἰατρὸν Ἄκρων᾽ Ἀκραγαντῖνον, πατρὸς
  ἄκρου,
κρύπτει κρημνὸς ἄκρος πατρίδος ἀκροτάτης.

Acronem celebrem medicum, & Acragantis
  alumnum,
Patre satum celebri, tymbus habet celebris.

Iste

Iste quum in opinionem hominum irrepsisset, ob restitutam vitæ mortuam mulierem, sacrificium fecit publicè, præsentibus amicorum nonnullis: quo peracto dilapsi alij quieti se dederunt, aut sub agri villæ adiacentis arbusto, aut quocunque tandem libuit loco: ipse accubitus sedem non mutauit. Orta demum luce, cùm ceteri exurrexissent, solus inuentus non est. Habita de viro quæstione, negantibusque se quidquam scire famulis, vnus inter reliquos dixit se media nocte immanem audisse vocem, Empedoclem nomine vocantem. quum'que subitò euigilasset, cæleste iubar oculis aspexisse, nec aliud quidquam. Attonitis rei miraculo omnibus placuit illi, vt deo, rem diuinam fieri oportere. Porrò quod de exanimi muliere fertur miraculum, eiusmodi ferme esse perhibent, quasi triginta diebus corpus absque spiritus & cibi vsu conseruauerit. Ipse Empedocles multas puellas populares suas indotatas ex priuatis opibus dote addita locupletauit: propterea purpuram sumpsit, & aureo strophio vsus fuit, adhæc crepidas æreas induit, & vittam Delphicam. Capillus illi erat promissus, pueros alebat asseclas, ipse seueritatis semper plenus in vno eodemq; tenore perseuerabat, sic in publicum prodibat, non defugientibus, imò iubentibus id ciuibus, tanquam

imperij cuiusdam insigne. Postremo ad festum solenne dum curru inuectus Messanam petit, prolapsus crus perfregit, vnde contracto morbo decessit, vti Neanthes Cizycenus literis consignauit.

Z

ZENON CITIEVS: *hunc Citio Cypri oppido oriundum suspexit atque admiratus est Antigonus Macedonum rex: qui interrogatus cur tantopere illum in honore haberet, quòd, inquit, nunquam remiserit contraxeritue animos; post multa & ingentia à me accepta beneficia. Cuidam catamito formoso dicenti sibi non videri futurũ, vt in amoribus esset sapiens, respondit, nihil vobis formosulis esset infelicius, nisi nos in amore essemus. Hic dicere solebat in sapientem non cadere mærorem atque animi ægritudinem: cuius dicti constantiam periclitari volens rex Antigonus, subornauit qui falso illi nunciaret, agros ipsius ab hostibus direptos, vxorem cum liberis abductam: quem cùm rex vultu deiecto mœstum animaduertisset, viden', inquit, diuitias non esse ex his rebus quibus neutram in partem moueri debeamus.*

ZENON ELEATES *dicebat mundum esse, vacuum non esse, vniuersi naturam conflatam esse è calido, frigido, humido, & sicco,*

mutuas operas inter se mutando tradentibus: homines è terra ortum ducere: Animam esse miscellam è prædictis concinnatam, nullo omnium præualente aut exsuperante. Aiunt conuitio verberatum, ira exarsisse: quod cùm alius illi vitio vertisset, respondisse, si contumelia vexatus id dissimulauero, ne tum quidem quum laudabor, voluptatem capiam.

H

HERACLITVS *aqua intercute correptus medicos rogauit, num quis intestina cõprimere & humorem exinanire: illis inficiantibus, soli feruenti se exposuit, iussis pueris vt se fimo bubulo oblinerent. eo pacto expassus porrectusq. quum fimum duratum deripere non valeret, permansit, ignoratusque ob insignem mutationẽ [quòd hominis nihil referret] à canibus laniatus fuit. Nullius auditor extitit, séque suo marte inuestigasse didicisséque omnia professus est. Extat in eum tale epigramma.*

Πολλάκις Ἡράκλειτον ἐθαύμασα, πῶς ποτε τὸ
ζῆν
ὧδε διαντλήσας δύσμορος, εἶτ' ἔθανε.
Σῶμα γὰρ ἀρδεύσασα κακὴ νόσος ὕδατι φέγγος
ἔσβεσεν ἐν βλεφάροις καὶ σκότος ἠγάγετο.

hoc est.

Vitam Heraclitus qui sic tolerando malignam,
Morte

Morte cadat misera, sæpius obstupui.
Nam Stygia inuoluit morientia lumina nocte
Morbus aquis tumidis languida membra rigans.

Iste existimationem, sacrum morbū nominabat: Visum dicebat mentiri fallique: Ignem esse elementum: ignisque vicem exhibere vniuersitatis corpus raritate & densitate conflatum. Nihil apertè explicat. Cuncta ait fieri ex pugnantibus & contrariis: vniuersa amnis in morem defluere: rerum vniuersitatem terminis circumscriptam esse, vnum esse mundum, eum'que ex igne nasci, & vice versa vniuersum æuum post certos annorum circuitus atque decursus conflagraturum, idque fati lege fieri. Contrariorum alterum quod genitale est & ad generationem vergit, bellum & discordiam vocari; alterum verò quod inflammat, concordiam & pacem. Mutationem esse viam quandam sursum ac deorsum ducentem, cuius ratione mundum gigni autumat, nam spissatum ignem liquari & humescere, atque vbi coïerit, in aquam abire: rursus aquam coagmentatam, in terram verti, eam'que esse viam ad inferna. E diuerso terram ipsam fusilem fieri, vnde aqua existat, è qua reliqua propemodum effici: omnia nimirum ad exhalationem, quam mare emittit,

retulit

retulit ille, hancq; nominat viam ad superna. Porrò euaporationes existere è terra pariter & mari, partim serenas & limpidas, partim nebulosas caliginosasq; : capere autem incrementum à serenis ignem, ab aliis humorem. Ambiens verò cuiusmodi sit, non explicat, esse tamen in eo alueos siue scaphas conuexas ait, in quibus coaceruatæ lucidæ exhalationes flammas elidant, eaq; esse sidera. Solis autem iubar esse splendidissimum feruentissimúmque: reliquis astris longiore spatio à terra distantibus, ac ob id minus fulgentibus & calefacientibus. Lunam vtpote viciniorem telluri, non ferri per lucidum locum: at Solem in claro puroq; positum, commenso congruóque à nobis interuallo esse disiunctum, qua ratione fiat, cur melius calefaciat & illustret. Hunc, vt & Lunam, deliquium pati scaphis illis sursum versis: Item Lunæ quolibet mense variantes figuras, quos schematismos appellant, fieri, dum sensim in ea vertitur alueus ille siue scapha. Præterea diem, noctem, menses, anni temporum vices, annos, imbres, ventos, & horum similia, pro diuersitate exhalationum fieri, serenam namque & claram exhalationem in solis circulo inflammatam, diem producere: contrariam verò, si superior fuerit, noctem gignere: sic calorem splendoris ope ad-

auctum, æstatem facere; è contrario humorem redundantem ob ambientis aëris tenebricosam obscuritatem, hyemem efficere. De terra, cuiusmodi sit, nihil definit. Extant in eum hæc epigrammata.

ἡράκλειτος ἐγώ, τί με ὦ κάτω ἕλκετ' ἄμουσοι,
οὐχ ὑμῖν ἐπόνουν, τοῖς δὲ μ' ἐπισταμένοις.
εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος, τρισμύριοι, οἱ δ' ἀνάριθμοι,
οὐδείς. ταῦτ' αὐδῶ καὶ παρὰ περσεφόνῃ.

id est:

Heraclitus ego, quid me gens barbara vexas?
Iste labor doctis, non tibi suscipitur.
Vnum habeo pro sexcentis, pro nemine turbam,
Hoc in regno Hecates dissero tergeminæ.

Aliud.

Μὴ ταχὺς ἡρακλείτου ἐπ' ὄμφαλον εἴλεε βίβλον
Τοῦ 'φεσίου, μάλα τοι δύσβατος ἀτραπιτός.
Ὄρφνη καὶ σκότος ἐστὶν ἀλάμπετον, ἢν δέ σε μύστης
Εἰσαγάγῃ, φανερῶ λαμπρότερ' ἠελίου.

id est:

Heracliti oculo librum properante caueto
Voluere, namque aperit se via inexplicita.
Omnia nigrescunt tenebris, quas mysta peritus
Si retegat, nitido sint magè clara die.

Dilucidus alioquin & perspicuus in scriptis est, vt etiam quāuis tardo homini obuius intel-

lectu

lectu sit, & in mentem facilè penetret, verùm styli breuitas & grauitas incomparabilis est.



THEODORVS *cognomento dictus ἄθεος, hoc est, impius, postea θεὸς, id est, Deus, opiniones de dijs penitus antiquauit ac sustulit: finem statuebat esse gaudium & tristitiam, illud prudentia & rerum cognitione, hanc vecordia & stultitia metiens. Bona esse prudentiam & iustitiam, mala contrarias animi affectiones: media verò voluptatem & dolorem. Sustulit idem amicitiam, quòd ea neque penes stolidos, neque penes sapientes sit: nam sublato vsu, amicitiam confestim aboleri atque interire: Sapientes rursus, quum sua sint sorte contenti, amicorum opem non requirere. Aiebat rationi consentaneum esse, vt vir bonus subtraheret se vitæ pro patria impendendæ periculo, neque enim abijciendam temerè cordati viri prudentiam pro stultorum commodis: Mundum esse nobis patriam. Sapientem furto, adulterio, sacrilegióque se dediturum, ex vsu temporis: horum etenim nihil natura turpe esse, si tollas popularem de hisce opinionem, quæ ad continendum in officio vulgus hominum recepta est. Iste aliquando periculum adijt, vt in Martium vi-*

eum, Areopagum nomine, pertraheretur, ni Demetrius Phalereus eum discrimini exemisset. Sunt qui dicunt illum etiam cicutã hausisse iudicio condemnatum.

THEODORVS *alter Samius consuluit vt templi Ephesini fundamentis carbones substernerentur, quòd loco uliginoso carbones lignea exuti natura soliditatem acciperent aquis inexpugnabilem.*

THEOPHRASTVS. *huius ludum frequentasse ad bis mille auditores dicuntur.*

I

HIPPASVS *Metapontinus dicebat statum esse interitus mundi tempus, ipsumq́ vniuersum certis finitum esse terminis, motúque sempiterno cieri.*

K

CARNEADE *Libyco philosopho è vita discedente Luna defecit, & sol tenebris obscuratus est.*

CRATES *Atheniensis & Polemon ita mutuo se inuicem amore complexi fuerunt, vt viui non ijsdem modò studijs dediti, verùm etiã vsque ad extremum penè spiritum inter se mores conformauerint, ac mortui communi sepulchro tumulati sint: Vnde & Arcesilas à Theophrasto ad eos diuertens dicere solebat, illos esse*

deos

deos quospiam, & aurei sæculi reliquias: neque enim vulgi applausum quærebant, sed Dionysodori tibicinis similes erant; quem gloriatum accepimus, quòd suos modos ad lyram pulsos nemo vnquam inaudisset in triremi, aut apud fontem, quemadmodum Ismeniæ Thebani.

CRANTOR *Solensis admiratione Homeri & Euripedis tenebatur, dictitans arduum esse & operosum, Tragicè & seruatis affectibus scribere: protulit'que versum ex Euripedis Bellerophonte,*

ὄιμοι, τί δ' ὄιμοι; θνητά τοι πεπόνθαμεν.

id est,

Hei mihi, quid hei? mortalia at passi sumus.

In fingendis vocabulis mirè felix, itaque poëtæ cuiusdam versus blattis refertos esse dixit, & Theophrasti theses testa fuisse exaratas.

CLEANTHES *Cratetis discipulus, ita ad labores impiger fuit, vt Hercules alter nominaretur: nam, quum deesset illi vnde victum quæreret, nocturno tempore hauriebat è puteo aquam mercede, interdiu disciplinis grauioribus vacabat, vnde pro Cleanthe Phreantles, ceu puteorum exantlator, cognominatus est. Iste prolata in medium familiarium cætum pecunia quam labore coëgerat, Cleanthes, inquit, si velit, etiam alteri Cleanthi victum ministrare queat,*

quum hi, quibus abundè est unde alantur, ab alijs ad vsum vitæ necessaria expetant, quamuis perfunctoriam philosophiæ operam nauantes. Quum quidam dixisset Arcesilaum ab officio discedere, respondit, Desine maledicere: & si namque contra officium loquitur, re tamen ipsa illud stabilit. Tum Arcesilaus, Adulationem, inquit, non recipio: subiecit Cleanthes, Certè adulor tibi, qui aliud loqui te, aliud præstare dixi. Interroganti cuidam quid potissimum filio inculcaret atque præciperet, illud, inquit, Electræ:

Σίγα, σίγα, λευκὸν ἴχνος.

Sile, sile, candidum vestigium.

Sositheum poetã conuicium ipsi ingerentem, et pænitentia ductum recepit in gratiam, dictitans absurdum fore, si quum Liber pater & Hercules à poëtis totiens ludibrio habiti non incandescant, ipse ob leuem offensam & maledictũ succenseret.

A

LEVCIPPVS *Eleates dicebat cuncta esse infinita, & in se mutuo commutari: vniuersum esse inane & corporibus plenum, mundósque gigni, dum corpuscula inane illud replent, atque inter se complicantur ac cohærescunt, proque ratione illorum incrementi per motum sidera*

dera existere. Solem ampliore circulo circumagi extra Lunam, tellurem verò in medio rapi veluti vehiculo actam, eiúsque speciem tympano esse non absimilem. Primus iste insectilia corpuscula rerum initia statuit. Vniuersum sine carere dicit, cuius hoc plenum sit, aliud inane: statuit & elementa, & mundos ex his infinitos esse, ac in elementa abire dissolui'que. Mundos autem hac ratione fieri: Ex infinito multa & figuris omnigenis prædita corpuscula dissilire velut assulas abscissas in magnum inane, quæ coacta rapi vna vertigine & circumactu, cuius impetu impacta & modis varijs in orbem rotata, similia seorsum ad sui similia separari secerni'que contingat: è quibus æquo momento libratis & ob multitudinem circũagi nequeuntibus, exilia discedere ad exterius inane, veluti cribro increta, reliqua considere simul & complexu quodam in vnum concurrere, primúmque efficere coagulum quoddam sphæriforme, atque id ceu fœtus inuolucrum edi ac produci, in se omnigena corpuscula quæ ambit continens; quibus circa centri medij vmbilicum circumrotatis, ambientem membranam extenuari, dum semper contigua corpuscula attactu vertiginis rapta in vnum confluunt, eáque ratione tellurem esse factam, quando illa quæ in meditullium

delata sunt, simul hærent atque permanent. Rursus ambiens illud inuolucro simile, incremento augeri, corpusculis externis in potestatem redactis, quando vortice circumactum, quæcunque attigerit, sibi adiungat velut peculium. Ex his nonnulla quæ adhæsere in massam cogere, madidam initio & limosam, arefacta verò & cum vniuersi rotatu circumuoluta, ac deinde inflammata, in astrorum naturam conuerti. Solis circulum esse extimum, lunæ nouissimum terræq; proximum, cæteris intermedium positum obtinentibus. Sidera omnia ignescere ob concitatissimi motus celeritatem: à sideribus solem quoque flammam concipere: lunam verò paululum ignis participare. Solem item & lunam defectu laborare, propterea quòd versus meridiem tellus deuergat: borealem plagam semper niue horrere, algere, & gelu concrescere. Solem rariùs, lunam frequenter deficere, eo quòd vtriusque circuli impares sint & inæquales. Mundum & gigni & augeri, & imminui tabescereq; necessitate quadam, quæ cuiusmodi sit, ipse explanat.

M.

MENEDEMVS *Eretriensis architecti filius fuit; vnde ex Alexini cætu quidam conuitiò cum incessit, ob promulgatam ab eo legem,*

dictitans,

dictitans, Non decere sapientem vel scenam, vel populi scitum vt fabricet. Missus Megaram ab Eretriensibus præsidiariorum præfectus, venit ad Platonem in Academiam, captusq; veluti reti, valedixit militiæ. Grauitati morum deditus fuit, quamobrem Crates parodicè in eum lusit,

φλιάσιόν τ' Ἀσκληπιάδην, καὶ ταῦρον ἐρέτριον.

id est,

Phliasiumq; Asclepiadem, taurumq; Eretrensem.

& Timon ita,

λῆρον ἀναστήσας, ὀφρυωμένος, ἀφροσι βόμβαξ. *hoc est:*

Ille supercilium tollens, & vendere nugas,
Ac medium digitum consuetus porgere vulgo.

Seueritas eius tanta fuit, vt Eurylochus Cassandreus cum Cizyceno Cleïppide puero accitus ad Antigonum, respuerit venire, dictitans vereri se, vt Menedemo res innotescat: erat enim impendio mordacior in carpendo & liberioris linguæ. Antigono consilium petenti quid dicturus esset, si ad coepulantes accederet, cætera tacitus, solùm iussit illi nunciari, quòd regis esset filius. A stupido quodam, qui ad illum nescio quid sine delectu attulerat, interrogauit, num agrum haberet: quum ille prædia sibi complura esse adiecisset, Abi, inquit, & illorum sat-

 age, ne

age, ne & illa fortè perdas, & scitum idiotam inuitus amittas. Dicentem multa esse bona, sciscitatus est, quot essent numero, & an centenis plura. Idem erat leni & remisso animo, parúmque satagens rerum scholæ suæ: itaque nullum apud illum videre erat ordinem, neque sedilia in orbem erant disposita, sed vt quisque fortè obambulabat aut sedebat, ita illi audiendo operam dabant. Cratetem qui in cœtu hominum astans asperiùs illum incesserat, quòd ad capessendam rem publicã accessisset, in carcerem duci præceperat, sed ille nihilo ob id deiectior, prætereuntem ac præ alijs eminentem, obseruare, & hominem Agamemnonium atque ἡγησίπολιν, hoc est, ciuitatis principem appellare non destitit. Erat idem paulo superstitiosior: quare quum aliquando cum Asclepiade in diuersorio carnes proiectas edisset, re cognita, nauseare cœpit & impallescere, donec eum obiurgans Asclepiades diceret, non carnes illi attulisse eam molestiam, sed præsumptam suspicionẽ. Ceteróqui vir fuit in excipiendis hospitio amicis liberalis, & agitandis frequentioribus conuiuiis intentior, quòd Eretria morbidum aerem haberet atque insalubrem. Plurimum Homero tribuit & Melicis, deinde Sophocli & Achæo, cui in Satyris secundum, vt Aeschylo principem locum dedit.

vnde

vnde in eos qui in regenda republ. sibi aduersabantur, vt fertur, hos senarios iactabat,

ἁλίσκετ' ἄρα καὶ πρὸς ἀσθενῶν ταχύς,
καὶ πρὸς χελώνης ἀετὸς βραχεῖ χρόνῳ.

hoc est.

Quandoque pernicem capit tardus pede,
Aquilámque testudo breui præuerterit.

Sunt autē ex Omphale Satyrica Achæi. Quapropter falluntur qui nihil illum legisse præter vnam Euripedis Medæam dictitant. Quum Stilponem laudaret, aliud nō dixit, quàm quòd liberalis esset. In quæstionibus adeò vehemens fuit & pugnax, vt non discederet nisi sugillatis priùs oculis. Tam arcta verò amicitia deuincti erant ipse & Asclepiades, vt cùm Archepolis censuisset danda illis tria drachmarum millia, obfirmatis animis vter secundo loco tolleret, neuter acceperit. Vxores autem duxerāt Menedemus matrem, filiam Asclepiades; qua extincta, Menedemi coniugem hic sibi adiunxit; ille verò iam reipub. præfectus, opulentam duxit, permissa priori vxori ædium communiū administratione. Symposia hunc in modum obibat. Cum duobus tribúsue priùs cibum sumebat, donec præceps iam esset dies: deinde vocabat aliquos accedentes, & quidem iam ante cœnatos. Itaque si qui aduenirent, ocius deflectens

sciscitabatur egredientes quid in mensa esset appositum, & quod esset diei tempus; si igitur olusculum aut salsamentum id erat, abibant; sin carnium quippiam, ingrediebantur. Aestate lectuli storea insternebantur, hyeme villosis pellibus stragulisue. Ceruical autem sibi quemque adferre oportebat: poculum quod obambulabat, hemina capacius non erat. Tragemata erant lupini aut fabæ, interdum è temporariis fructibus, poma, mala punica, pira, & plerunque ficus passæ. Lycophron, qui illius encomium conscripsit, de eo sic ait:

ὡς ἐκ βραχείας δαιτὸς ἡ βαιὰ κύλιξ
αὐτοῖς κυκλεῖται πρὸς μέζον, τράγημα δὲ
ὁ σωφρονιστὴς τοῖς φιληκόοις λόγος. *id est:*

Cœna in breui pusillus admodum calix
In orbem obambulat, tragematum efficit
Vicem eruditus sermo cum sodalibus.

Aiunt illum patriam è tyrannorum manibus non semel liberasse, & ad Antigonum se contulisse, voluisseq́ eam iterum reddere liberam: sed quum ille flecti non posset, præ animi mœrore postquam septem dies inediam tolerasset, vita excessisse.

MELISSVS *dicebat uniuersitatis corpus esse infinitum, ac mutationis motusq́ expers: & vnum sibi ipsi simile ac plenum, motum non*

esse,

esse, sed videri. De Deo nihil esse certò statuendum & asseuerandum censebat, nullam enim eius esse cognitionem.

N

NICOLAVS. *Nicolaum philosophum Damascenum tanto amore complexus fuit Augustus Cæsar, vt missas ab eo ad se placentas, Nicolaos vocaret, quæ in hunc vsque diem durat appellatio..*

NVMENIVS *Pythagoricus philosophus Apamia oriundus, Platonis ingeniũ nota perstringit, quòd veluti plagio subripuerit è Mosaicis libris, quæ de Deo & mundo prodidit: eò spectat quod dicit, Quid enim aliud est Plato, quã Moses Atticissans?*

NESTOR *Lycius carminum scriptor, cõposuit Iliadem certis literis carentem, nam in primo libro, qui per A notatur, nullum α inuenias, atque ita in omnibus libris alphabeti græci ordine distinctis deest sua cuique litera. Similiter illi Odysseam scripsit Tryphiodorus.*

Ξ

XANTHVS *Lydius historicus in Lydiacæ historiæ secũdo memoriæ prodidit Gygen Lydorum regem, primùm feminas castrasse, quo illis semper ætate florentibus nouisque vteretur.*

XENOCRATES *philosophus, quũ Alexander*

xander Macedo misisset illi dono triginta auri talenta, remisit, dictitans regem pecuniis, non autem philosophum opus habere. Antipatro Athenas venienti, ipsumq́ complexo, non priùs sermonis vicem reddidit, quàm ille inceptam orationem finiuisset. Ipse verò à fastu alienissimus secum frequenter luce meditabatur, horámque vnam silentio partiebatur. Tantum tamen virum Athenienses aliquando venundederunt, quum non posset inquilinarium tributum appendere: eum emit Demetrius Phalereus, vtrique subueniens atque opitulatus, quando Xenocrati reddidit libertatem, & Atheniensibus tributum inquilinarium persoluit.

XENOPHANES *Colophonius quatuor esse rerum elementa dixit, mundos sine fine, immutabiles, nubes concrescere attractis sursum vi solis humoribus, & in ambiente locum capientibus. Dei substantiam esse sphæriformem, nihil homini simile habentem, & totum quicquid vbique est videre ac audire, nec tamen spiritum ducere: simúlque omnia esse, mentem, prudentiam, & æternitatem. Primus asseuerauit quicquid gignitur, interitui esse obnoxium, & animam esse spiritum; dixit & plæraque esse mente inferiora deterioráque. Cum tyrannis vel non omnino sermonem habendum esse,*

vel quàm suauißimè. Empedocli dicenti sapientem haud temerè reperiri, respondit, Rectè tu quidem; quippe sapiens sit necesse est, qui sapientis cognitionem habebit. Primus etiam dixit cuncta esse incomprehensibilia.

O

HOMERVS: *hunc tradunt historiæ captum oculis fuisse, quòd cupiditati & libidini quæ per oculos irrepit, non cesserit victus.*

Π

PALAMEDES *literaria elementa quatuor inuenit, ζ, π, φ & χ.*

PINDARVS *Lyricus precatus Deos, vt quod in vita maximè optandum sit, sibi darent, in theatro repentina morte extinctus est, reclini capite super amasij Theoxeni genua.*

PLATO *Philosophus dicitur & connubiū & venereum congreßum in vniuersum respuisse: rumor erat matrem ipsius è numine grauidam vterum tulisse, obiecto illi Apollinis viso, ac post editum Platonem, tum demum Aristonem maritum cum ea consuetudinem habuisse. Platonis nomen accepit, quòd πλατὺς, id est, lato vel pectore vel fronte esset: alij inditum nomen rentur ab vbertate sermonis, hoc est, verborum latitudine. Timon Comicè illum traducens in Sillis (ita vocauit sales ac dicteria in philosophos*

losophos iacta,) de eo hunc in modum ait.

τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ' ἀγορητὴς
ἡδυεπὴς τέττιξ ἰσόγραφος, οἵ θ' ἑκαδήμου
δένδρῳ ἐφεζόμενοι, ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

hoc est.

Prauius ante omnes ductor latissimus ibat,
Suauiloquens orator, & is quem iure cicadis
Argutis possis componere, quas Hecademi
Consonet arbustum modulantes voce canora.

Initio enim Hecademi fundus Academia dicta fuit. Hic Heracliti, Pythagoræ, & Socratis rationes commiscuit atque confudit; nam quæ sensibus obuia sunt, ex Heracliti sententia tractauit: quæ mente comprehenduntur, secundum Pythagoram explicuit: in politicis & ciuilibus rebus, à Socrate non discessit. Multa ab Epicharmo Comico mutuatus est, vt testatur Alcimus, qui etiam hæc dicit: Rerum periti dicunt animam partim per corpus persentiscere, nimirum videndo audiendóque: partim per se ipsam concipere atque intelligere, nusquam corporis ope vsam; ac proinde rerum alias sensibus percipi, alias animo cognosci. Quamobrem Plato dixit eos qui vniuersitatis primordia animo cõplecti desiderãt, primùm oportere seorsum per se rerum formas, Ideas appellant, disiungere atq; dispartire,

dispartire, exempli gratia, similitudinem & vnitatem, multitudinem & magnitudinem, statum & motum: Secundo loco ipsum per se honestum, bonum & æquum, quæque eius generis sunt alia constituere: tertio cernere quæ ideæ sub eandem rationem cadant: vt scientiam aut proceritatem, aut principatum, idque animo reputare, quòd nostratia cum illis gentilia sint, ac nomine cõueniant, & quòd cum iis participent: verbi gratiâ, Aequa esse quæ cum æquo, honesta quæ cum honesto communicent. Inter Ideas autem vnum est aliquod sempiternum, & intelligentia ipsa, omniúmque affectionum vacuum: propterea dicit Ideas, id est, rerum formas existere tanquam exemplaria, cetera iis assimulari, velut earum expressa simulachra. De bono summo & Ideis sic fermè Epicharmus loquitur: Num tibiæ cantillatio res quæpiam est? certè est. homo ergò cantillatio tibiæ est. Minimè gentium. Agè videam, quid verò tibicen aliquis videtur ne tibi esse homo an secus? Prorsus. Idem igitur sentire de bono videris, vt hoc bonum sit, illud res sit per se: qui dena carminum genera perdidicit, is iam bonus efficitur. Plato Chabriam ducem capitis accusatum comitabatur, nullo id ciuium tentare auso, quo tempore inter ascendendum vnâ cum illo

Dialogismus.

in arcem Athenarum, quum Crobylus quadruplator illi obuiam factus istud ingessisset: alteri auxiliaturus venis, at nescis te quoque manere Socratis cicutam: ipse respondit, quum pro patria militarem, pericula sustinui, & quidem nunc in amici gratiam, ne officium deseram, sustinere non verebor. Eiusmodi tamen vir non effugit maledicta & scommata Comicorum, inter quos Theopompus,

ἓν γὰρ ἐστὶν οὐδὲ ἕν,
τὰ δὲ δύο μόλις ἕν ἐστιν, ὡς φησὶ πλάτων. *id est,*
Vnum enimuero ne vnum quidem est,
Imò duo vix sunt vnum, quod sentit Plato.

præterea Anaxandrides,

ὅτε τὰς μορίας ἔτρωγεν ὥσπερεὶ πλάτων.

hoc est:

Quum deuorabat oleas, vt solet Plato.

& Timon ad nomen alludens,

ὡς ἀνέπλαττε πλάτων πεπλασμένα θαύματα εἰδώς.

Ceu finxit portenta loqui & miracula doctus
Vana Plato.

Item Alexis,

εἰς καιρὸν ἥκεις ὡς ἔγωγ' ἀπορουμένη
ἄνω κάτω τε περιπατοῦσ' ὥσπερ πλάτων.
σοφὸν οὐδὲν εὕρηκα, ἀλλὰ κοπιῶ τὰ σκέλη. *hoc est,*
In tempore aduenis, nam consilij indiga

Sursum

Surſum deorſum palor, vt Plato, obambulans,
Nec repperi ſapientem laſſa cruribus.
Iterum.

λέγεις περὶ ὧν οὐκ οἶδα συγγενοῦς τρέχων
Πλάτωνι, καὶ γνώσῃ λίτρον καὶ κρόμμυον.

hoc eſt:

Ipſi tibi ignota loqueris, quin vt Plato
Vagus diſcurre, & quid cepe ac nitrum, ſcies.
Amphis in Amphicrate,

τὸ δ' ἀγαθὸν ὅ,τι ποτ' ἐστὶν, οὗ σὺ τυγχάνειν
μέλλεις διὰ ταύτην, ἧττον οἶδα τοῦτ' ἐγὼ
ὦ δέσποτ' ἢ τὸ τοῦ πλάτωνος ἀγαθόν. *hoc eſt;*

Quodnam iſtud ſit bonum, quo tu potirier
Te poſſe reris propter hanc, equidem minus
Here ſcio, quàm Platonis quod fuerit bonum.

Plato quæ aſſecutus & animo cōplexus fuit, aſſerit; falſa refutat, de incertis definire ſuperſedet: de iis quæ approbat, per quatuor perſonas ſententiam ſuam prodit, nempe Socratem, Timæum, Athenienſem hoſpitem, & exterum Eleaten. Mendacium verò refellentes inducit Thraſymachum, Callicle, Polum, & Gorgiam. Animam dicebat principium ſui habere Arithmeticam, corpus verò Geometriam: definiebátque animam eſſe formam ſpiritus quoquouerſum diſtracti, & ſe ſuapte vi mouentem.

PYRRHO *Elæus Anaxarcho comes cum*

Gymnosophistis, Indis, & Magis consuetudinem habuit. Hic legem quandam & formulam inuexit incomprehensibilitatis (quam ἀκαταληψίαν vocat, quasi nihil percipi possit) & epoches, quam assensionis retentionem, suspensionémue dicimus. Negabat quidquam reuera esse honestum vel flagitiosum, iustum vel iniustum: & consimiliter de ceteris: homines tantummodo cuncta agere aut ex legis instituto aut ex consuetudine differebat, nihilo enim magis hoc quàm illud esse. Prædicant illum solere solitudines & secessus captare, raró domesticis videndum se præbendo, idq́; fecisse ab eo tempore, quo Indum audierat Anaxarcho exprobrantem obijcientémque, quòd alium neminem virtutem & bonum doceret, ipse aulas regum colens atque frequentans. Præterea eodem in statu habitúque persistere solitum memorant, vt etiamsi dicentem quis desereret, secum nihilominus inceptum sermonem perageret. Non raró peregrinationem suscipiebat, nemini sui instituti indicium faciens, & quibus cũ vellet vná vagabatur. Deprehensus quandoque secum loqui, caussámque interrogatus, respondit meditari secum, qua ratione vir bonus fiat, & alijs vtilis. In quæstionibus nemo despectui illum habuit, eo quòd oratione pressa, & ad interroga-

tionem

tionem accommodata respõderet. In patria tanti est habitus, vt pontifex maximus designatus fuerit: atque in eius gratiam omnibus philosophis immunitas à vectigalibus plebiscito promulgata est. Piè vixit & cum sorore obstetricante. Idem in forum deferebat venum auiculas, si ita res ferebat, & porcellos. Vtensilia domus promiscuè tergebat atque mundabat. Cõmotior in sororem, cui Philistæ nomen erat, & ob id reprehensus ab alio, dixit: In muliercula non esse edendum specimen adiaphoriæ & indifferentiæ. Irruente olim in eum cane exterritus, adculpantem dixisse memoratur, Quàm difficile est hominem penitus exuere: contendendum tamen est primum, quàm fieri potest, maximè operibus, si id nequeat, saltem ratione.

POTAMON. *Potamonem Mitylenæum rhetorem patrium solum repetentem Tiberius Cæsar huiusmodi literis viatici loco instructum dimisit. Potamonem Lesbonactis filium si quis offendere aut incommodare ausus fuerit, consideret secum ille, an mecum suscipere bellum valeat.*

Σ

SIBYLLA *Romana vox est, fatidicam mulierem significans, vnde Vaticinæ fœminæ*

vno nomine Sibyllæ vocantur: decem autem numero fuere, quarum prima Chaldæa de CHRISTO *vaticinata est; cuius si versus aliquot imperfecti, & metricis legibus parum constantes inueniantur, non ipsius id culpa, sed notariorum vitio accidit, qui vim ac flumen verborum calamo assequi nequiuerunt, quòd simul cum cessante inspiratu, dictorum memoria intercideret atque moreretur.*

STESICHORVS *Lyricus, quum scripsisset Helenæ vituperium, luminibus orbatus fuit, recepto visu, postquam recantasset edito Helenæ encomio; nomen autem Stesichori accepit, quòd primus chorum statuerit in cantu ad citharam, dictus anteà Tisias.*

SAPPHO *Lesbia amore Phaonis Mitylenæi ardens de Leucate promõtorio in mare præcipitem se dedit.*

SOPHOCLES *tragicus, Apis cognominatus fuit, ob carminis suauitatem.*

SOPHRON *Syracusius Agathoclis F. scripsit oratione soluta, sed Dorica dialecto, Mimos masculos & muliebres, quos Platonẽ semper in manibus habuisse ferunt, illísque etiam indormire suetum.*

STILPON *Megarensis inuentionis gratiâ & argutiis intantum superauit ceteros, vt*

omnis tantùm non Græcia coniectis in eum oculis intenta Megarisare cœperit: auellit itaque ab illis multos discipulos: prætereà Diphilum Bosphorianum & Myrmecem Exæneti F. ad se venientes arguendi gratiâ, assectatores habuit. Excepit eum benignè Ptolemæus cognomento Seruator, qui Megaris potitus & pecuniam illi dedit, & vt secum in Aegyptum nauigaret, hortatus est. at ille exiguum quid pecuniolæ admisit, itérque abnuens in Aeginam tantisper concessit, donec ille regnum repetisset. Quin & Demetrius Antigoni F. occupatis Megaris & ædificium ipsius ab iniuria conseruari, & facultates iam antè direptas restitui curauit, quando poscenti tabulas amissæ substantiæ indices regi respondit, nihil sibi priuatæ rei perisse; quãdo nemo ademerit sibi doctrinam, & eloquentiam scientiámque reliquas habeat: itaque de beneficentia disserens, quæ à mortalibus præstari possit, ita regem cepit atque demulsit, vt ab eo totus penderet. Fuit reuera festiuus, simplex, simulationis nescius, & rudibus accommodatus. Hic videns Cratetem hyeme amictu obnuptum, Videris, inquit, mihi Crates nouo opus habere indumento, nimirùm mente & veste: in quem mox Crates parodia Homerica ita lusit:

καὶ μὴν στίλπων' ἐσιδὸν χάλεπ' ἄλγε' ἔχοντα
ἐν μεγάροις, ὅθι φασὶ τυφώεος ἔμμεναι εὐνάς,
ἐνθάδ' ἐρίζεσκεν, πολλοὶ δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι,
τὴν δ' ἀρετὴν παρὰ γράμμα διώκοντος κατέτριβον. idest,

Vidi equidem Megaris Stilponem infanda ferentem
Fama vbi Centimanum cepisse Typhoëa sedes,
Ille agitat lites: circum illum densa caterua
Virtutem contra hæc actoris scripta terebat.

Porrò Stilpon senio confectus, morbóque implicitus vinum poposcit, quo mors acceleraretur, quod & euenit. Hic tollebat species, aiebátque qui diceret hominem esse neminem, neque enim de hoc loqui, aut de illo, cur enim potiùs de hoc, quàm de illo? neque igitur de hoc: rursus, olus quod digito monstratur, non est, fuit enim ante millenos annos olus, non est igitur hoc olus.

T

TIMÆVS *Tauromenita dictus fuit conuitio, Anus collectrix, eò quòd triuialia conscriberet, velut anilia fabulamenta.*

TIMOLAVS *Larissæus rhetor congeminauit Iliadem, versum semper versui subiiciēs, hoc modo:*

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος,

ἣν ἔθετο

ἣν ἔθετο χρύσου κεχολωμένος εἵνεκα κούρης,
οὐλομένην, ἣ μυρί' ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν
μαρναμένοις, ὅτε ζωσὴν ἄτερ πολέμιζον ἄνακτος,
πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἀΐδι προΐαψεν
ἥρωας ἐν παλάμησι δαϊζομένων ὑπὸ δουρί.

hoc est,

Iram diua mihi Pelidæ suggere Achillis,
Quam Chrysæ ob natam sumpsit (cui iniuria facta)
Letalem, quæ mille malis inuoluit Achiuos
Pugnantes, dum bella cient ductore carentes,
Heroumq; animas fortes demisit ad Orcum,
Hectoreis manibus, quos hausit missile ferrum.

TRIBONIANVS *Iustiniano Imperatori adulans, ei persuasit non moriturum ipsum, sed vnâ cum corpore raptum cælo immigraturum: erat autem paganus & impius.*

TYRTÆVS. *Tyrtæum elegiacum poëtã, carminibus Lacedæmonios (quo tempore cum Messeniis bellum gerebant) animasse, eaq; ratione victoriam illis peperisse proditum est.*

TYRANNION *Emisenus priùs Theophrastus [ab eloquij diuinitate] posteriùs Tyrannion mutato nomine dictus est, quòd æquales qui in eodem secum ludo erudiebantur, vexaret molestaretq;. Captus fuit à Lucullo, Romæq; in*

magnis diuitiis viuens possedit supra tres librorum myriadas.

Υ

HYPATIA *Theonis Alexandrini philosophi filia, ab Alexandrinis diuulsa ac discerpta est, cadauer ludibrio iactatum per totam vrbem frustatim disparatũ ac sparsum fuit. quod illi accidit ex inuidia orta ob eximiam peritiam rerum præsertim Astronomicarum.*

Φ

PHÆDON *Elæus Socratis auditor ab Indis captus, ac lenoni venundatus, ab eo prostitutus Athenis fuit ad stuprum. Is fortè in Socratem incidens publicè profitentem, disputationibus illius mirè affici cœpit, petijtq́ obnixè, vt redimeretur. Itaq; Alcibiadem flexit Socrates, qui eum mercaretur: quo facto iam inde philosophari incepit. Auspicatus est Eliacam sectam à se nomen adeptam, quæ postea à Menedemo Eretriensi Eretriaca appellata fuit.*

PHERECYDES *Syrius (est autem Syra è Cycladibus insulis vna) nullo vsus fuisse magistro, suóque marte profecisse dicitur, postquam apocrypha & arcana Phœnicũ commentaria nactus fuerat. Hic primus opinionem de animorum transmigratione inuexit: absumptus autem fuit à pediculis.*

PHI-

PHILEMON *Syracusanus nimio risu extinctus fuit, vt & Philistion Nicaensis, de quo extat epigramma.*

ὁ τὸν πολυστέναχτον ἀνθρώπων βίον
γέλωτι μίξας νικαεὺς φιλιστίων. *hoc est,*

Mortalium ærumnosam vitam miscuit
Risu Philistion, Nicæa quem dedit.

Hic scripsit Cachinnatorem.

PHILISCVS *Milesius rhetor, antea clarus artis gloria tibicen, quem Isocrates orator tibiarum foratorem nuncupabat.*

PHILETAS *Cous præ macilentia vitam finiit, dum fallacem, quam vocant, ratiocinationem exquirere studet.*

PHILON *Hebræus tantam cum Platone & ingenio & scriptis affinitatem habuit, vt in prouerbium abierit apud Græcos, Aut Plato Philonisat, aut Philo Platonisat.*

PHILOSTRATVS *Lemnius, qui de Imaginibus librum scripsit, filius fuit primi Sophistæ Philostrati Lemnij: docuit Athenis, postea Romæ Imperante Seuero.*

X


CHOERILLVS *Samius poëta scripsit Atheniensium victoriam de Xerxe, pro cuius poematis singulis versibus aureum staterem dono accepit, decretumq; senatusconsulto, vt cum*

Homericis scriptis simul legeretur.

CHRYSIPPVS. *Chrysippum Philosophum criminantur nonnulli, quòd præuidisse animo se dixerit, qua ratione sapienti quæstus sit faciendus, & qua de caussa instituendus: nã si in vitæ gratiam id fiat, vitam ait esse in medijs habendam: sin vt voluptati seruiatur, ipsam quoque eodem in numero habendã: at si propter virtutẽ, hãc abundè per se instructam opibus ad vitam beatè peragendam. Sunt autem (vt dicũt) ridiculi modi quæstus eiusmodi, qui si à rege proficiscatur, cedendum illi necessario fuerit: si ab amicitia, venalis ea fuerit accepto munere: sin à sapientia, hæc quoque mercenaria fuerit. Hunc ad philosophiam accessisse perhibent, postquam in fiscum regis tota paterna substãtia diffluxisset.*

FINIS.

AD BENIGNVM LECTOREM IN SEQVENTES CAſtigationes atque annotationes admonitio.



SI emendando Heſychio noſtro, indeq; occaſione ita ferente, Laertio etiam ſanando ſalutarem manum interdum admouerim, haud mediocre operæpretium facturus mihi videbar: apud maleuolos tamen ſcioloſq; cõuitij aſperſiuncula non carituram meam hanc operã hariolor, dicturos fortaſſe binos me dealbãdos ſuſcepiſſe parietes: ſed ſciant illi duabus anchoris in tempeſtate confirmari nauim quæ iactatur, voluiſſe Pindarum. Sed libenter ego ſurdis auribus, vt olim Vlyſſes occinẽtium Sirenum voces, ſcommata illa prætermiſero, dum ſtudia adiumenti aliquid per me ſenſura ſint; quibus ſi quid accedat à me etiam cum valetudinis offenſa ac detrimẽto, nil muto, imò ſeriò id gaudeo ac triumpho, quòd non ſoli mihi natũ me ſciam. Scatuit hic liber pluribus quàm dicere velim mendis, quæ inſigniora placuit ſecreto à ſupe-

ſuperioribus commẽtariolo adnotare, ne in affectatæ tyrannidis, quæ libidinis ſuæ arbitrio omnia permittit, opinionem cà dam, leuiorá & magis obuia diſſimulaui, vt κάμοις pro κόσμοις, ἐφθίμοις pro ἰφθίμοις,, aliaq; id genus, quæ longum foret enumeraſſe. Mendorum ferme copioſam materiam inuehit ſupina incuria librariorum, quos plurimos alit Italia Græcæ linguæ imperitos, deſcribẽdis tantùm libris mercenariam operam impendentes, qui lectori aut interpreti ſæpenumero nihil aliud ſunt, quàm cruces, digniſſimi qui paſcant in cruce coruos; nam negotium ingeniis exhibendo, ea obtenebrant plærunque & tanquam eluſcant, quando ita in tenebris pugnandum ſit. Tu amice lector voluntatem noſtram, qua prodeſſe ſtudui, boni conſulito. Vale.

ANNOTATIONES ET CASTIGATIONES IN Heſychium.

1 Αυτῶ καὶ σῖτον, καὶ οἶνον, hoc poſtremum in Laertio addendum eſt inſerẽdumque ſuo loco, quãdo integram lectionem agnouerit & interpres.

2 ἀργυροριίτῳ. ſcribendum ἀργυρονήτῳ.

3 φιλονεικότατος εἶναι ἐλεγξῖνος. duplici mẽdo liberandus est Laertij codex, in φιλονικώτατος, & ἀλεξῖνος. non enim victoriæ studiosum fuisse indicare voluit, sed ob contentionis studium (quæ νεῖκος dicitur) cognomen accepisse ἐλεγξίνου, hoc est hominis carpendi & reprehendendi morbo laborantis: veræ itaque & germanæ lectionis fontes aperuit Milesius.

4 περιέτρεψε πως. Laertij codex legit περιεπείρετο. pro ἀλφέον verò scribe ἀλφαῖον, id fluuij Elidis nomen est, vbi Alexinus ludum aperuerat.

5 γεγράφθαι, Laertij liber ὑπογεγράφθαι.

6 ἀνθῶν. non dubium est quin ἀγαθῶν reponi debeat.

7 ξενικὴν, in Laertio legis ἐρωτικὴν. Ego vtrumq; codicem vitium habere suspicor, vnoq; cataplasmate sanari posse reor, si huic auctori ἐρωτικὴν adiicias, Laertio ξενικήν, hoc pacto reparata lectione, εἶναι συγγενικὴν, τὴν δὲ ἐρωτικὴν, τὴν δὲ ξενικήν. tria enim amicitiæ genera esse statuit Aristoteles, vnã quæ ex propinqua cognatione & consanguinitatis iure accedat, alteram quam amoris vis conciliet, & tertiam sanctissimo hospitij iure celebratã.

8 ἐνέχειν, magis placet Laertiana scriptura προέχειν.

9 ἀπολώτατος, plenius est apud Laertium ἀπολογώτατος.

10 κυκλοφορητικὴν, illic legas κυκλοφορικήν.

11 θέρμης; vitiosè scriptum est pro ὁ ἑρμῆς.

12 Leuiora sunt vitia ἀπεδείκνυ pro ἀπεδείκνυε, δεομένειν pro δεομένην, & αὐτάρκοι, pro αὐταρκῆ.

13 περὶ πλεῖον, restitue πλείονος.

ἀσεβα-

ἀστραγαλωτὶ, aduerbiali formula ſcriptum hic legas, ego puto rectiùs legendum ἀστραγαλωτῇ, ſubaudiendo μάστιγι, vt alluſerit ad Cratetis comici dictum ex fabula cui ἑορταῖς nomen, ſic ſcutica aſtragalis iunctis innodata dicebatur, vt ex Polluce teſtatur Euſtathius, qua flagellari ſolebant in Matris deorum templis Galli eius deæ miniſtri, ſi quippiam deliquiſſent, vt ex Plutarcho aduerſus Colóten adnotatum à me olim eſt in Animaduerſorum libris: quo haud dubiè reſpexit Arceſilaus, cohibendam eſſe & caſtigandam ad exemplum Gallorum Cybeles proteruiam inſolentiùs ſe gerẽtis adoleſcentis, & quidem effœminati, innuere volẽs. Quod verò proximè ſequitur apophthegma, Laertij interpres non intellexit, qui illud τὸν αἰτίαν ἔχοντα περαίνεσθαι, conuertit ita, vitiosè concludens, quum περαίνεσθαι ſit, quod Martialis præſcindi dixit, nos cum Salluſtio, muliebria pati.

15 ἀποστεροῦντος. hæc ſcriptura rectè habet, ex qua repurgandus eſt Laertij codex, qui malè legit, οὐκ ἀποστεροῦντος, οὐκ ἀπήντησεν, pro ἀποστεροῦντος οὐκ ἀπήντησεν.

16 ἑτέραις, reſtitue ἑταίραις, & pro ἀνδρεικακίας, ἀνεξικακίας.

17 περίστιζα. verſus ita emẽdandus γλαῦκα περίστιζαι. & pro ὅθ' οὕνεκα ὄχλῳ ἀρέσκεις. lego ὅθεν εἵνεκ' ὄχλῳ ἀρέσκεις, aut vna voce ὀχλοαρέσκεις.

18 στραγῶν, repone στρατηγῶν.

19 ὑπ' ἐμοῦ ὀνειδιζόμενον. vitioſa lectio & improba, quæ ex Laertio reſtituenda eſt ita, ὑπὲρ ἐμοῦ διαγωνιζόμενον.

20 ἔφησεν ἡ σκύθισα. lege ἔφυσεν ἡ Σκυθὶς αἶα. & mox pro ὄντες, ὄντως legit Laertij codex: vtraque lectio conſtat.

21 ἔνησυν. ſcribendum eſt ὁ νηδν. & paulo póſt θυνήμασι pro θυηλήμασι, & ἔδωσι pro ἔδισι, & ἤλιτον pro ἄλιτον. Porrò ex hoc auctore emẽdari poteſt Laertianus codex, qui legit ἐυμαρῶς, quum legi debeat ἐυμαρῶς, & θήρην pro quo ſcribe θύρην, vt & ἄπαντα μᾶλλον, pro ἃ μᾶλλον.

22 ὁ τηνατπαστόλεμβος ἄνθεραξ, ſiue vt apud Laertium eſt, ὅτ' ἦν ἅπας ὁ λέμβος ἄνθραξ, quod interpres ita vertit, cùm lẽbus erat carbo totus: quid aũt ſibi velit hoc ſiue adagij ſiue ſcommatis, ad eos relegãdum puto, qui ſoli exorienti ſomnia ſua narrare ſunt ſoliti. Verùm totum hoc epigramma integritati ſuæ reſtitutum in verſione noſtra oculis ſubiecimus, ſecundum quam formulã Laertii codex repurgãdus quoque venit. Eſt autem Carmen iſtud à Mario Plotio vetuſto grammatico, Comicum tetrametrum catalecticum nominatum, cuius exempla hæc profert.

» Δίκαιος ἐστιν ὁ φθόνος, τὸν γὰρ φθονοῦντα δάκνει.

» Indormis cunctis omnium cubilibus malignus.

at Marius Seruius Honoratus idem vocat Ariſtophanium alterum, dicitque conſtare tetrametro catalectico, addens hoc exemplũ, quod in excuſis codicib. deſideratur, ſubſtituto altero notho,

» Portum petamus, aura ceſſat, vela ſolue malo.

Dedita verò opera in his prolixior fui, vt metri legem reuocarem è duobus veteribus grammaticis, altero adhuc ignoto, altero mirè lacero. Hephæſtionis ſcholia adducunt iſtud,

Εἴ μοι γένοιτο παρθένος καλή τε καὶ τέρεινα.

23 ἀυτὶς ὁ μῶμος. Hemiſtichij poſtrema pars eſt, cũ ſequente pentametro: hoc adnotaſſe libuit, quòd

E nec

nec qui Laertium Græcè excudit, nec qui Laertij iure donauit, id obseruasse videantur. In Iambicis verò græcis malè legebatur, ξυνείρησιν, & λύσαι, pro λύσας.

24 λαμπιτώ, dedita opera adieci à nitore formæ, tametsi sciam scorti speciosi fuisse nomen è Samo, quam amasiam habuisse Phalereum auctoritate Daylli refert Athenæus, eandémque & χαριτοβλέφαρον aliâs ab ipso dictã ob palpebrarum decorem.

25 ἰξίων. Hic locus plurimum lucis adfert Laertio, qui solummodo cognominis rationem adducit ab iniuriola Iunoni facta, διὰ τὸ ἀδικῆσαι τι δοκεῖν περὶ τὴν ἥραν.

26 ὑπὸ τῆς ἀδελφῆς δαμάσου. ita noster habet Laertius, ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ, vt Damasus fratris nomen fuerit, qui cum facultates ex hæreditate relictas partitus sit.

27 δι' ὧν καὶ περιφερῶν. lege πνῶν καὶ.

28 οὐ τὴν αὐτὴν οὐσίαν, restitue οὖσαν participium.

29 ἐξεδέξαντο. Suidas & Laertius, ἐξηγήσαντο.

30 τυραττομένη turbatus, at Suidas legit τυραννουμένη, hoc est, subactus, & obsessus.

31 καθεδοῦμαι, à verbo καθέζομαι. Laertij interpres legisse videtur κατέδομαι vel κατεδοῦμαι, vertit enim consumor atque deficio.

32 διὰ χυλῶν. Athenæus Epicuri verba non semel citans, constante vbique in excusis libris scriptura, διὰ χειλῶν legit, vt sit, Voluptates quæ per labra ministrantur, aut de quibus labra iudicant: Illud verò, ἔχω τι νοῆσαι, idem in Dipnosoph. septimo citat semel atque iterum, οὐ δύναμαι νοῆσαι, sen-

σαι, sententiam quàm verba, vti ꝛeor, magis appẽdens.

33 ὥστέ μοι. in Laertio legitur μὴ. Locus est insignioris mendæ mihi suspectus, quem ita legendum existimo, vt rei veritatem secutus conuerti, ὥστε μὴν αἰλοιδορεῖσθαι ἢ μὴ ἀποφαλεῖν διδάσκαλον, nam Epicurus, quo videretur à seipso doctus, Nausiphanis (cuius discipulus fuerat) famæ derogabat, eumq; non agnoscebat præceptorem, magnam cum eo simultatem gerens: Itaque in epistola quadam ad Mitylenæos philosophos refert eum ita scripsisse Sextus Empiricus in hæc verba, Arbitror suspiciosos illos opinaturos me Pulmonis discipulum, qui vnâ cum temulentis aliquot & crapulæ addictis adolescentulis eum audierim. Pulmonem vocat Nausiphanem, vt nullo præditum sensu: vel potius tumidũ & gloriosum discipulorũ numero.

34 πόρνον, hoc est, scortum masculum, non πόρνην lego. Istud codici Laertij typis excuso adiiciendũ est, quandoquidé eius interpres ex vetusto exemplari legisse ita videatur.

35 φαρμακοπώλην, scribe φαρμακοπωλεῖν.

36 μιμητὴν imitatorẽ & aliorũ similũ sonat: Laertius habet κυκητὴν, quod magis probarim, & turbatorẽ significat potiꝰ, quã merobibũ, vti vertit interpres.

37 λημόκεστον. Interpres viciniùs ad primigenium nomen Lemocritum, siue λημόκειτον legit, eique lectioni faueo, vt sit composita vox à λήμη, quæ gramiam oculorum, lippitudinis parentem, sonat. Quis non nouit Lemas philosophis probri loco à Comicis obiectari solitas, tum ob lippos oculos è studio natos, tum ob cæcutientiam in rebus: eo-

que legi potest Erasmi adagium Saturniæ lemæ, quo lepidissimè vsus est Gregorius Palama Thessalonicensis, apud quę anima cum corpore in ius descendens, post enumerata quæ sibi accidāt mala, αὐτὴ δ' ἐγὼ, inquit, χρονικαῖς λήμαις ἐπισκοτοῦμαι: hoc est, Ipsa ego Saturniis lemis, (aut si mauis, temporariis lemis) obtenebresco, nihilque acutiùs exaudire queo. vt χρονικαὶ λῆμαι sint senectutis vitia, quæ tempus & senium secum adfert.

38 σανίδωρον, malim σαινίδωρον, vt interpres legit, vt sit σαινίδωρος, ὁ σαίνων τὰ δῶρα, qui canum more aduletur, & muneribus inhiet, potiùs quàm ὁ σαίνων τοῖς δώροις, qui donis hominum beneuolētiam captet, quod in Lexicis legas. Diuersū sonat Laertii lectio vulgata, σαννίδωρον, obsceniore fortassis sensu, παρὰ τὸ σαννίον δωρεῖσθαι.

39 ἐξῆλου malè, restitue ἐζίλου.

40 καὶ τὸ ἐπελθὸν, malim Laertij scripturā sequi, quæ habet, τῷ μὴ ἐπελθεῖν, quamuis priori lectioni astipulari magis videatur Sambucus noster in Latino Laertio, vt margini adiecta adnotatio ostendit. Hæc autem particula rationem reddit, quantum ego coniectura assequi possum, cur in scriptis suis eadem iterauerit atq; identidem inculcarit Chrysippus, nimirum quòd oblitus in tāto scriptorum numero ea prodidisse, fugiente memoria, iterum & sæpiùs materiam eandem tractauerit: Si quis tamen alteram illam lectionem magis vrgeat, nō repugno, at tum vertendum ita fuerit: eadem scriptis prodiderit, & quicquid in mentē illi venerat.

41 ἦξαι. legas & αἶξαι apud Laertium scriptura nō pœnitenda, qua etiam alio loco vtitur.

42 ὕστατος αὖ φυσικῶν καὶ κύντατος. In Laertio est ἂν φυσικὸς, & interpres loco κύντατος, restituit ὕστατος. illud verò emenda apud Laert. ἀναγωγὸ pro ἀναγαγό.

43 πρῶτος, apud Diogenem variat lectio horũ versuum nonnihil, illic enim inuenias scriptum οἶσιν pro πρῶτος, & in proximi versus initio θερμὴν vice χάλκην, nullo sententiæ detrimento, nisi quòd finis eiusdem hîc claudicat mutilus & corruptus, quẽ ex Laertio ita persanes. ἐς πύελον γὰρ ἐσήλυθε καὶ τὸν ἀκέστον ἔσπασεν, εἶτ' ἀίδην ψυχρὸν ἐπεσπάσατο.

44 ἄκρον ἴασον. Elegij istius gratia nullo verborum Latinorum ornatu aptè exprimi potest, ob vocem ἄκρον, quæ celebrem & summum notat, quæ singulis vocibus epitheti vicem præstat, & Acroni medico, & Acraganti (sic enim eam vrbem vocat Virgilius poëta, quam cæteri Agrigentum) nomen dedit.

45 ἐρασθήσεσθαι ὁ σοφός. passiuè vtendum existimo, quod interpres agendi formula reddidit, vt sapiẽs amaret: quum ille qui in delitiis erat catamitus, (ita καλὸν Lucianus & alii vocant) vice dicterii in sapientiæ amatores illud districtinxerit, sibi nõ videri, quod sapiẽs in amoribus esset, propterea quod austeritate vitæ & grauioris disciplinæ seueritate ab amoribus auersus sit: cui scommati appositè occurrit philosophus respondens, formosulis illis nihil inueniri posse calamitosius, nisi sapientiã professi in amore essent seu amarentur, eo quòd docendo iuuẽtutem viam virtutis grati sint, amoremque sibi omnium concilient. Desideratur autem extrema responsi pars in Laertij codice isthic mutilo, tã Latino, quàm Græco; εἰ μὴ ἡμεῖς ἐρασθησόμεθα

σώμεθα; quæ verba illuc adſcribenda ſunt ex hoc auctore, qui loci integritatem nobis ſeruauit. Porrò huius loci occaſio monet, vt alterum quoq; locum adſcribam, vbi ſimiliter infinitiuus accipitur: is eſt apud Laert. in Arceſilao, de Hemone Chio, qui deformis, ſua tamen opinione pulcher, ſemper byſſinum indutus amiculũ, interrogauit Arceſilaum; ἢ οὐ δοκεῖ αὐτῷ ὁ σοφὸς ἐρασθήσεσθαι: num illi ſapiens in amoribus futurus videretur? reſpõdit, quid ſi non perinde præſtante forma ſit, vt tu, neque ita ſplendido veſtitu vtatur? Quẽ locum non modo non intellexit, verũ etiã peruertit interpres.

46 κόσμον. Laertij codex pro κόσμον legit multitudinis numero κόσμους, hoc eſt, mundos.

47 ὑδάτων. reſtituendum, vt & verti, puto πάντων, ex Laertio pro ὑδάτων, id eſt, aquarum.

48. αἰσθανθήσομαι. admonet quidam legendum eſſe αἰσθήσομαι, apud Laertium, interpolata vetere lectione ἀλγήσομαι, quam ego genuinam loci huius ſcripturam iudico, ſimulq; obiter apud illũ emaculanda eſt lectio hoc pacto, κἂν λοιδορούμενος, μὴ προσποιῶμαι, venuſta enim phraſi dicunt Græci, μὴ προσποιεῖσθαι, quod nos diſſimulare. Voluit autem innuere Zenon, philoſophum haud ita debere affectionum vacuitatem & liberationem omnimodã amare, vt ab honeſto diſcedat, vt immoto animo velut cautes quæpiã contumelias quaſuis perferat, vbi nominis naufragium incurrat, vtq; cum Themiſtocle nõ perfundatur voluptate, ſi virtutẽ ſuam optimè prædicari audiret, præſertim ſi à laudato id viro fiat: nã qui ἀπάθειαν illã profiteri velit, tam ad virtutis ſuæ encomiũ obſurdeſcat oportet, quàm

quã ad cõuitia patiẽtia & æquanimitate occalleat.

49 ἐξερῦσαι. Laertius eadem ſignificatione dixit ἐξερᾶσαι propriè magis, quomodo Ariſtophanis ſcholiaſtes ἐξεράσατε exponit ἐκκενώσατε.

50 βολβίτοις. Laertius βολίτοις, vtrunque rectè.

51 οὐδὲν ἄνω κάτω, repone ὁδὰν loco οὐδὲν ex Laertio.

52 πάντα ἐπὶ τὴν ἀναθυμίασιν ἀνάγων. Hæc verba deſiderantur in Laertiano codice, ac proinde illic adſcribenda: hoc admonendum lectorem putaui, vt veluti in lucro deputet iſtam appendicem.

53 ὥρας αἰτίους. vitioſa ſcriptura pro ἐτείους, hãc enim natiuam loci lectionem res ipſa inculcat, pro quo verti ego, anni temporum vices.

54 In his epigrammatibus non poſſum tacito pede pertranſire variam lectionem, quam inuenio paſſim, pro τί μ' ὦ, malè legas in Laertio τίμ' ὦν. & pro ἀδῶ, melius ἀυδῶ, quam ſcripturam ſequitur & Epigrammatũ Græcorum editio. pro εἴλεε, Laertius habet εἴλεο. Epigrammatum liber εἴλυε: ſed εἴλεε, laudo.

55 φαεινοῦ λαμπρότερον, verſus legi conueniens ſcriptura iſta, φανεροῦ λαμπρότερ' ἠελίου, ſeipſam approbat, & aſſentitur Laertii codex.

56 νωθρέστατον, repono νωθέστατον ἀ νωθὺς, alioqui νωθρότατον ſcribendum fuerat.

57 Hic ἄθεος dictus fuit, quòd opiniones de diis omnes euertiſſet: Idem θεὸς audiuit, quaſi Deus, ob ſtultam ſuam aſſenſionem in Stilponis verba, qua de re legendus eſt Laertius in Ariſtippo.

58 ὑπεξαγαγεῖν. placet hæc lectio meliùs quã Laertiana, quæ habet μὴ ἐξαγαγεῖν.

59 ἐφιλήτην, rectiùs ita ſcribi puto, quã quod apud

Laertium inuenias, ὠφελείτην. Porrò Cratetis nomini adieci de induſtria, Athenienſis, vt iſto diſcrimine à Cratete Thebano dignoſceretur.

60 ἐξωμοιώτην, emenda ἐξομοιούθην, quæ ſcriptura in Laertio ſeruata eſt, & mox ἐκοινωνείτην.

61 τί δῆτα, perperam ſcribitur, repone τί δ' οἴμοι; verſiculi ſenſum non rectè appendit nobis interpres Laertij: exprimit enim animum afflicti fluctuantem, ac ſeipſum corrigentem recordatione conditionis humanæ ad miſerias natæ.

62 σκίφης. Legendūm arbitror, σίλφης, non ζκίφης, vt ex hoc auctore citat Suidas, aut σκίφθης, ſicuti in Laertiano codice eſt: cur autem ita ſcribendum augurer cōiectura, dicam, innuere enim voluiſſe Crantorē exiſtimo, poëtaſtri illius verſus ætatem non laturos, ſed blattarum (quæ vt veſtimentis, ita & libris inimicæ ſunt) dētibus breui cōficiendos: alios rectius aliquid & eruditius allaturos, vltro prouoco, vt doceant, gratiā etiam illis habiturus.

63 τὸ ἐκ τῆς ἠλέκτρας. lego conſtanter, τὸ τῆς ἠλέκτρας, quam melioris codicis ſcripturam expreſſit & interpres Laertij, ſunt enim Electræ verba ex Oreſte Euripidis, ne quis exiſtimet ea extare vel in Euripidis vel in Sophoclis Electra, quo nomine vterque poeta fabulam dictauit: ea ita legūtur in vulgatis editionibus, choro Argiuārum mulierum attributa, ſed perperam.

σῖγα σῖγα, λεπτὸν ἴχνος ἀρβύλης τίθετε. quum Electra loquatur & illas moneat, vti ſuſpēſo gradu & ſilentio accedant, néue ſtrepitum cieant, vt ne malè ſopito Oreſti fratri ſomnus abrumpatur. Electræ autem verba eſſe, non chori, perſpexit incertus auctor

tus auctor, qui in eam tragœdiam προλεγόμενα scripsit: hallucinatus est hac in re & Erasmus noster, qui ab interpretis fide discedens, locum istum ex Electra citat. Porrò λαλκὸν, vt iste habet, agnoscit etiã scholiastes Euripidis, vt si priori lectioni insistas, iubeat tacitè & leui pede accessum moliri fœminas: at si posteriorem sequaris, moneat vt tacitè candidos pedes promoueant.

64 φαίνεσθαι. Videtur legendum potiùs esse φέρεσθαι loco φαίνεσθαι ex Laertio.

65 περὶ τὴν σελήνην. apud Laertium est, παρὰ τὴν σελήνην, quod hîc est περὶ, & sententiam coniungit cũ orbis terræ motu: Laertij codicis fidei subscribo.

66 διαδύεσθαι. potiorem iudico lectionem Laertii, διαλύεσθαι. Quæ verò sequũtur omnia, vt è Laertio transscripta sunt, mirum quàm mendosa in eo auctore legantur, adde & trunca, vt vel hoc solo nomine multum Milesio debeamus, qui integrum magna religione locum & à vitio purum posteris nobis reliquerit. Studiosus quisque hinc suum codicem emaculare poterit, quem labor neutiquã illiberalis aut superuacuus iuuabit, multa enim non leuis operæ inueniet corrigenda, vt μίαν pro ζημίαν, pro περί, πέριξ, pro ἐπέκρυσιν, ἐπικράτησιν, aliaque à scripturæ & veri fide longissimè dissidentia.

67 ἀθεισθέντα. lege ἀθροισθέντα, hoc est, coacta, nam alterum illud sonat despecta & contempta.

68 σπιλῶδες. Laertium secutus πηλῶδες reponẽdum rectiùs iudico quàm σπιλῶδες.

69 λόγον ἀναστήσας. quid si λῆρον reponas, cùm quòd initium heroici versus ob pedis naturam λόγον respuat, tum quòd Sillographus maledicentissimo

poëmate famosus, faciliùs λῆρον cum iniuria, quàm cum laude λόγον attributurus philosopho fuerit. Coactus verò fui laciniosiùs hunc versum reddere, quòd nimia breuitate Timõ obscurior sit: præterea βόμβαξ locum nominis obtinet, quæ tamen vox interiectio est; παρεμβολοειδὴς, conuitiis inspergi solita, & irrisioni congrua: Eustathius aduerbiũ facit illusorium, καὶ παικτικὸν, quo vsum alicubi Aristophanem scio. Itaque per illud, ἄφροσι βόμβαξ, innuit, vti reor, eum parui pendere vulgus hominũ, iisque oppedere, ac medium, quod ille dixit, digitum ostendere.

70 ἐκκλιτὴς. Vox mihi incognita neq; lecta, cuius loco restituendum arbitror, ἐκλυτὸς, nisi vitio codicis Laertiani hic epitomiasta deceptus fuerit, certe eadem sententia constabit.

71 ὡς δὲ ἐιπὼν. locus & mendo deformatus & mutilus, qui hoc modo in integrum restituẽdus venit. ὡς οὐδὲν, εἰπὼν, ἠνώχλησεν αὐτῷ τὰ κρέα, ἡ δὲ περὶ τούτων ὑπόνοια.

72 στρεζομένους. Laertij interpres videtur legisse ἐριζομένους, vertit enim ita, cũ certa esset amica contentio.

73 πλακοῦντας. Si Athenæi præualebit fides & auctoritas, vt antiquioris, φοίνικας, hoc est, palmulas, legendum fuerit: cui enim non suboleat verisimilius fieri, has è Syria genitali loco ad Cæsarẽ missas, quàm placentas, quas tam longinqui spatij & longæ moræ vitio corrumpi ac mucescere oportuerit, facilè hac ratione gratiam amissuras: sed audiamus eius verba Latinè ita sonantia: De palmulis vulgo Nicolais dictis, quæ è Syria adferuntur, hoc habeo quod dicã, illis nomen indidisse Augustum

ſtum Cæſarē impenſè delectatū edulio iſto, quod Nicolaus Damaſcenus ipſius familiaris, peripateticus philoſophus, aſſiduè ad eū miſſitabat. Confirmat item Plutarchus conuiualiū octaua decade, in hanc ſententiam ſcribens: Auguſtus (inquit) qui ingēti amore proſecutus fuit Nicolaū Peripateticū philoſophū, ingenio ſuaui hominē, corpore ob proceritatē imbecillo, facie purpureo rubore perfuſa, palmulas maximas & ſpecioſiſſimas Nicolaos nominauit, & huc vſq; nomen retinēt: φοινικοβαλάνων τὰς μεγίστας καὶ καλλίστας Νικολάους ὀνόμασιν. Aſtipulatur tamen huic noſtro tranſcriptor Suidas, exponens placentas, μελιπήκτας, id eſt, mellitas, aut melle imbutas placentas vel offas. Et apud Theophraſtū lego μελιπήκτας τριμήνοις, hoc eſt, trimeſtres offas. Nemini præiudicatum volo, credat quod velit quiſque.

74 κατὰ ῥαψῳδίαν. Dilucidè magis quàm ad verbū iſta à me verſa ſcio, vt auctoris ſententia eluceret, quàm tranſcriptam à Suida, eius interpres non intellexit, cuius ad marginem libri annotatio iſta legitur: Fortaſſis quicquid quoque libro prætermiſit Homerus, id hi eodem ordine & numero librorum ſunt executi.

75 τὸ μετοίκιον. Non poſſum non hoc loco verſionis meæ rationem reddere, præſertim quum videam toto cœlo eam diſſidere à Laertiani interpretis conuerſione, quæ ita habet, vt eo modo in exilio poſitus frangeretur, & paulò poſt. Athenienſibus verò impoſito illi viro ab vrbe exilio ſatisfecit. Itaque ſciendum eſt μετοίκιον fuiſſe tributum Athenienſibus peculiare, quod annuum in-

quilini pendebāt, nimirum viri duodecim drachmas, fœminæ eius ſummæ dimidium, vt Iſæus orator oſtendit: at libertini generis præter duodecim drachmas, triobolum inſuper addebāt, vt indicat Menander, fortaſſis publicano debitum: cæterùm inquilini qui non ſoluerant, aut ſoluendo non erant, capti vænum ibāt, vti aduerſus Ariſtogitonem Demoſthenes ait: Plura Harpocration. Suidas verò pro ἀπονοῦντα citat ἀποτονοῦντα.

76 ἢ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν, ita manuſcriptus habet per ἢ diſtinctiuè, ego repoſui ἣ relatiuum.

77 ἀνακεκλιμένα, lego ἀνακεκλιμένος. Porrò in verſibus ſequentibus Timonis perperam ſcriptū eſt πλατίστακος pro πλατύστατος.

78 ἐπίχαρμος. Laertius habet ὁ Ἄλκιμος, & quidem rectè, nam Alcimus ad Amyntam quatuor libros ſcripſit, Platonémq; Epicharmi ſcriptis adiutum oſtendit.

79 τὸ δὲ πρᾶγμα εἶμεν. Ex hoc loco emendari poteſt Laertius, & eius verſio, τὸ δὲ πρᾶγμα εἶμεν καθ' αὐτὸ, ibique interſtinguendum puto, nam εἶμεν eſt Doricum pro εἶναι, non autem εἰ μὲν, quod eſt, Siquidem, vti ille peruertit.

80 τὰς μωρίας, ſcribendum eſt per ο ſimplex, μορίας, vt ſint oliuæ, de quibus etiam Comicus ſalsè ludit, εἰς ἀκαδημίαν κάτιων ὑπὸ ταῖς μορίαις καταθρέξεις, id eſt, quum in Academiam deſcendens ſub oleis decurres.

81 συγγενοῦς. In his verſibus legendum συγγενῶς aduerbium, pro συγγενοῦς, & κρόμμυον, non κόμμυον.

82 ὃν σὺ τυγχάνειν repono ὃ relatiuum, & mox ante πλάτωνος adieci articulum τοῦ, vt ſuis numeris non clau-

non claudicaret verſus.

83 σωκράτους, τιμαίου, inſerenda huc ex Laertio hæc nomina, τοῦ ἀθηναίου ξένου, τοῦ ἐλεάτου ξένου, deſiderantur enim.

84 κατάληψ. lege ex Laertio ἀκαταληψίας.

85 μαινούσῃ. ſcribo μαιευούσῃ, quod diuulſum μαίᾳ οὔσῃ extulit Laertius.

86 αὔρυν. Vitioſa ſcriptura, quum ἀγορὰν legi debeat.

87 οὐκ ἐν γυναίῳ. Compreſſius idem atq; tenebroſius narrat, quod Ariſtocles ex Antigono Caryſtio dilucidius atque explanatius refert in hanc ſententiam. Philiſtæ Pyrrhonis ſorori rem diuinam facturæ, amicus pollicitus fuerat ſe ſuppeditaturum ſacrificio ſumptus, neque præſtiterat: quare Pyrrhon ob id iratior neceſſaria omnia comparauit. Itaque reprehendit eum ex amicis vnus velut non facientem dictis ſuis conſentanea, & affectuũ vacuitate, quam profitebatur, indigna: cui reſpondit ille, ἐν γοῦν γυναικὶ οὐ δεῖ τὴν ἐπίδειξιν αὐτῆς ποιεῖσθαι, quaſi indignior ſit mulier, quàm vt ſpecimẽ apathiæ in ea edendum ſit.

88 διασοβηθέντος, malè, pro διασοβηθεὶς, vt mihi videtur. Idem Ariſtocles refert hoc illi accidiſſe, quum ſibi à cane perſequente metuens, in arborem conſcendit, eo vſus perfugio.

89 καινοῦ. Gratia dicti eſt in καινοῦ, quod vnica voce nouum ſignificat, & καὶ νοῦ diuiſis vocibus, quibus ſignificatur, & mente: quem leporem Latina lingua aſſequi non valet.

90 διώκοντες. Legendum cenſeo ſuffragante Laertij codice, διώκοντος, quod & ſenſus requirit: nam


dixit

dixit Stilponem quæſitoris more lites agitare, itaque comites eius & diſcipulos, præter reſcriptum quæſitoris ſeu accuſatoris virtutem terere: alludens ad flagitioſæ actionis notam genti philoſophorum inuſtam.

91 καθ' ὅλης. legitur & καθ' ὅλην τὴν πόλιν.

92 διὰ τὴν. Suidas huius loci, vt ferè aliorum, tranſcriptor, addit διὰ τὸν φθόνον καὶ τὴν, &c.

FINIS.



APPROBATIO.

Nihil habet S. Romanæ Eccleſiæ fidei contrarium, aut Reipubl. offenſiuum: quod atteſtor

Sebaſtianus Baer Delphius, inſignis collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ Hantuerpienſis Plebanus & Canonicus.